IANI NICII
ERYTHRÆI

EPISTOLÆ
AD
TYRRHENVM.



BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

COLONIÆ VBIORVM,
Apud IODOCVM KALCOVIVM
& ſocios. CIϽ IϽCXLV.

Excellentis viri, Iani Nicii Erythræi, ad Tyrrhenum Epiſtolæ, merentur ſubjici prælo Typographi, atque exire in publicum. Coloniæ Vbiorum, Dec. CIↃIↃCXLIV.

Henricus Francken Sierſtorpffius, SS. Theol. Doctor; Metropolitanæ ac S. Cæciliæ Colon. Preſbyter Canonicus; Gymnaſii Laurent. Regens; librorum Cenſor.

C A R M I N A
hîc Epiſtolis juncta.

S. Catharina Senenſis ad Chriſtum.	epiſt. IV.
Ad Card. Capponum.	X.
Ad Silveſtrum Colliculam.	XIV.
In cellulas Fratrum S. Honuphrii.	XVI.
Ad Nuncium Apoſtolicum, Fabium Chiſium.	XXXIX, & XLIII.
Ad Marium & Robertum Accorambonos.	XLIII.
In S. Firminam, Virginem & Martyrem.	LXIII.

Reperitur quoque, ad calcem Epiſtolæ XVIII, lucubratio de Miſſa, nec non alia de dignitate Sacerdotis.

I.

TYRRHENO,

Viro Clariſſimo, longeque doctiſſimo,

IANVS NICIVS ERYTHRÆVS

S. P. D.

QVamvis, multos jam annos, maxima cum utilitate Chriſtianæ Reipublicæ, tua iſthæc vis tanta virtutis atque ingenii, peregrinata, abfuit ab oculis & Vrbis & aulæ, meo tamen ab animo, cui nihil poteſt obſiſtere, nunquam ea receſſit. Etenim ab eo die, quo ea primum ſe mihi obtulit, ita meum ad ſe animum arripuit, ita me totum ſibi conglutinavit, atque conjunxit, ut nulla temporis diuturnitas, nulla locorum diſtantia, nulla regionum diverſitas, tantam conjunctionem, tamque arcte conſtrictum amoris vinculum, diſſolvere ac diſtrahere potuerit. Quid mirum eſt igitur, ſi in eo libello, qui mihi, æſtate quadam ocio diffluenti, neque, quid potius agerem, habenti, per jocum excidit, ejus meminerim, cujus mihi virtus ſemper animo obverſabatur, &, quamcumque rem agere occepiſſem, ſe mihi ſemper objiciebat? Verum, acceptis tuis literis, tanta me voluptas invaſit, quantam maximam capere poſſum, tanta lætitiæ vis ingruit, quanta ne in cogitationem quidem cujuſquam cadere potis eſt, dum illud mecum reputo, me in ejus memoria, qui eſſet omnium virtutum princeps, hæſiſſe, unde tot annorum, quibus inter nos non vidimus, curſus, tot regionum, quibus disjuncti fuimus, interjectus, tot munerum ampliſſimorum, quorum adhuc occupatione diſtringeris, adminiſtratio, facile potuiſſet ejicere. Præterea videbam, ingentes à te mihi gratias agi, per literas, omni elegantia, ſuavitate, cultuque refertas; ob tenuem, neſcio quam, amoris erga tuas virtutes mei, ſignificationem. Quas literas, quoniam in

iis à te ornor, comperiebam, plus mihi ad immortalitatem nominis profuturas, quam Eudemiam, quam omnes eos libros, ad quos edendos, jam diu amicorum ſedulitate ſtudioque, compellor. Sed tanta gratiæ memoris animi virtus, tanta beneficentiæ vis non poterat ab alio prodire, niſi ab eo, quem generis ſplendor, ingenii nobilitas, doctrinæ magnitudo, omniumque elegantiſſimarum artium ſcientia, ab imperitorum atque inurbanorum vulgo ſecernit. Cujus beneficii ſi ulla me unquam oblivio capiat, non modo ingratus ſim, ſed feras etiam beſtias, immanitate ac ſævitia, ſuperem. Ac non tibi viſum eſt ſatis, ſi id unum mihi beneficium tribuiſſes, ſed curaſti, ut, cum alio munere copulatum, ad me veniret; nempe illud dico opus, in quo totam itineris tui rationem ac ſeriem elegantiſſimo perſecutus es libello, ita ornate, ita aperte, ita dilucide, ut urbes, amnes, viæ, regiones, eiſdem deſcriptæ, non tam verbis exprimi, quam coloribus pingi, non tam animo repræſentari, quam oculis ſubjici videantur. Quod mihi ſpectaculum, ita viſum eſt lepidum, ita jucundum, ut ad illud complures literatos viros, ac earum regionum, quæ à te referuntur, peritos, convocaverim: qui omnes clare plauſum dederunt, atque urbium earum ſitus, hominum mores, viarum aſperitates, itineris incommoda, atque pericula, apte, lepide, concinne, prope in conſpectum adducta, clamarunt. Cujus ſcripti pulchritudine elegantiaque cum ſatiari nequaquam poſſem, coactus ſum illud heri, in ſummo colle Ianiculi, ad D. Petri, inter viridantium illarum arborum umbras, avium cantus, ac leniter ſuſurrantis auræ ſibilos, relegere, una cum Hugone Vbaldino, Baſilicæ Vaticanæ Canonico & Archidiacono, præſtanti ſapientia viro, judicio peracri, ac ſpectatore ingeniorum elegantiſſimo, uno verbo, Roberti Cardinalis Vbaldini fratre. Ac non poteſt dici, quanta, ejus opuſculi lectio hominem voluptate perfuderit, quantaſque ab utroq; noſtrum aſſenſiones & admirationes expreſſerit. Illud demum inter nos convenit, tibi neminem, ingenio, eruditione, judicio, ac poëticæ etiam facultatis laude, anteire, idque eo admirabilius videri, quod in ſummis atque perpetuis occupationibus

tuis, tanta ſcribendi tam bene facilitas & ratio contingat. Quamobrem eas tibi gratias ago habeoque, quibus es dignus; & poſthac interdum audebo litterarum ad te aliquid ſcribere; non quo tibi, mei memoria, animum refricem; nihil enim hac re opus eſſe intelligo; ſed reverentiæ & amoris in te mei teſtificandi gratia. Vale. Romæ, VI Non. Iulii MDCXLI.

II.

TYRRHENO

V. C. eruditiſſimoque.

SIgnificare mihi viſæ ſunt tuæ humaniſſimæ ad me literæ, eo jucundiores quo minus expectatæ, tibi non ingratum fore, ſi interdum ad te literas darem, quibus tecum abſens, ut dicitur, loquerer. Verum id me ſæpius agere cogitantem, argumenti, de quo ſcriberem, inopia retinuit. Nihil enim occurrebat, quod ſcriberem, quodque te velle ſcire exiſtimarem. Nam, quæ hic Romæ aguntur, cum ad te perferantur, arbitror tibi eſſe notiora, quam mihi, qui adſum. Etenim homo, minime cupidus inveſtigandi ea, quæ nihil ad me attinent, neque cum curioſis verſor, qui rem alienam potius curant quam ſuam, neque ædes in ea Vrbis parte habeo, ubi ob frequentiam civium, omnia mihi neceſſario ſint audienda; ſed fere ſolus ago, ac remoto ab arbitris loco inhabito, quo vix tandem levis eorum, quæ fiant, rumor accedit. Cum enim, vel mea inertia, vel eorum ad quos me applicaveram culpa, vel fortunæ injuria, quæ mihi ſemper adverſata eſt, procul à Rep. ſemper habuiſſet; decrevi, relictis omnibus curis, ibi quieſcere, ubi, tanquam in portu ſedens, turbulentiſſimo ambitionis æſtu eos jactari, qui ſe illi commiſiſſent, aſpicerem, eiſque navis Reip. bene gerendæ laudem virtutemque concederem, mihique, ut dicitur, viverem. Itaque non inelegantem domum, nec ita magna mercede, conduxi, unde amœniſſimus eſt proſpectus in Vrbem, & in circumjectos Vrbi campos; ibique

diei majorem partem, legendo aliquid ſcribendoque, traduco, non ullam inde docti vel litterati viri famam aucupans, ſed honeſtum ocii mei oblectamentum quærens. Hinc Eudemiola noſtra manavit; quæ mihi eſt erepta è manibus antea, quam caſtigare expolireque eam poſſem; cujus duos poſtremos libros, quos jam diu impreſſor ſe typis mandaturum promiſerat, nondum apparere, vehementer miror. Ab hoc eodem ocio alia non parum multa prodierunt; fortaſſe non minus, quam Eudemia, oppleta inanitatum, atque aranearum. Nam cum nihil ſuppeteret, in quo fructuoſius meum tempus contererem, ne nihil interea agerem, ad hæc inania ac levia revolvebar. Quæ, ut alia plura, evanuiſſent, niſi aliquod illis pondus addidiſſet Gabriel Naudæus Pariſinus, vir doctiſſimus, quicum mihi aliquot ab hinc annos, magnus uſus neceſſitudoque intercedit. Hic, pro ſuo erga omnes cupidos literarum amore ſtudioque, ſingulari me benevolentia complexus eſt, adeo ut ſingulos ingenioli mei partus, quos ego ſemper contempſi, nec aſpicere volui, patria prope caritate, ſuſceperit, ſervaverit, aluerit, ſummamque dederit operam, ut quam longiſſima illis vita contingeret. Nam primam Dialogorum meorum partem, quæ Dialogis duodecim continetur, magna ex parte de rebus amœnis lepidiſque, conſcriptis, Lutetiam Pariſiorum ad amicum ſuum miſit, ut eam typis cudendam quam primum curet. Et quia nullum neque finem neque modum facit, de me cogitandi, ac bene merendi, jam nunc in eo eſt, ut volumen epiſtolarum mearum, quas plures in libros diſpoſitas habet, tranſalpinis librorum impreſſoribus tradat, magis, ut ego interpretor, ardore animi, impetuque; quam maturitate atque judicio. Novi ego mei tenuitatem ingenii; novi res meas, quam longe infra illud, quod ſummum ac perfectum eſt, jaceant. Sed benevolentiæ illius obſiſti non poteſt, qui obfirmate dat operam, ut mea, quæ penes ſe habet, ante meum è vita diſceſſum in lucem exeant, quo (id quod ego minime laboro) vivus hac gloriola fruar. Ac cedidit mihi perincommode, ut epiſtolam ad me tuam, non majore elegantia quam humanitate refertam, aſpiceret, in qua large, tuam ipſe mihi

mihi operam ac ſtudium defers. Nam ab eo die magnam in ſpem venit, poſſe contingere, ut iſtic, ubi celebres officinas impreſſorias eſſe non ignorat, tua auctoritate & gratia, imprimatur illud opus, quod nuper, de viris, aliqua ingenii fama notis, me vivo vita functis, abſolvi. Itaque, quoties me videt, (videt autem ſæpiſſime,) rogat, inſtat, urget, ut id à te beneficium, quanta vi poteſt, efflagitem. Cui ego roganti diu reſtiti: ſed cum jam ille, non cohortationes, non preces, adhibere, verum vim facere videretur; coactus ſum per literas, quæ non erubeſcunt, (coram enim auſus non eſſem,) meum hoc ad te poſtulatum afferre, teque perquam demiſſe orare, ut, ſi fas eſt, ſi æquum cenſeas, ſi tibi videatur, cum aliquo impreſſorum iſtorum agi cures, ut librum, de quo dixi, typis mandandum accipiat. Qui liber, tum meo tum aliorum judicio, non quidem ſermonis elegantia, quæ virtus abeſt à me longiſſime, ſed materiæ varietate, plenus eſt cujuſdam voluptatis, quæ non mediocriter, legentium animos, commemoratione hominum, & cognitione ingeniorum, tanquam formarum, detinere poſſit. Neque ego ſum tam ineptus, quin videam, me temere agere, cum eam tibi provinciam conor imponere, quæ minime occupationibus tuis maximis graviſſimiſque conveniat, ſimulque impudenter facere, quod per amicitiam & gratiam aliquid à te contendere audeã, in quem nulla mea merita extent. Sed temeritatis crimen facile propulſabit humanitas, qua te mihi dediſti; impudentiæ vero notam, amiciſſimi mihi hominis contentio diluet. Nam video, laudi datum eſſe non nemini, quod depoſuerit, ob amici juſſa, pudorem. Interim, quidquid futurum eſt, ſi tibi non eſt moleſtum, ſignifices velim. Etenim, ſi qua ſpes iſtic negocii conficiendi ſe dederit, id erit mihi gratum in primis, tum mea, tum amici cauſa; ſin minus, tuam mihi operam ſtudiumque non defuiſſe lætabor; idque in magni beneficii gratiæque loco reponam. Romæ, pridie Idus Septembris M D C L X I.

III.

Doctiſſimo clariſſimoque viro
T Y R R H E N O.

NVdius tertius redditæ mihi ſunt uno tempore à te epiſtolæ duæ; quas, ex die, illis adſcripta, tres antea menſes quam accepiſſem, exaratas fuiſſe comperi. Cujus rei cauſam cum ab eo, qui detulerat, quæſiſſem, eam in amanuenſi tuo hærere reſpondit, qui in earum literarum opiſtographo, pro Nicio alium, fere cognominem, ſcripſiſſet; cumque eæ, per duos menſes, tota Vrbe circumlatæ eſſent, neminem fuiſſe inventum, qui vocaretur ita. Verum, ad me optatiſſimæ expectatiſſimæque pervenerunt, tum quia elegantiſſimum religioſiſſimumque illud carmen, de Chriſto recens nato, ferebant, cujus frequenti lectione, ſenſi me mirabiliter recreari, atque ad pietatem excitari; tum etiam quia ſcriptum in illis erat, te daturum operam, ut Pinacotheca mea, vel iſtic vel in Belgio, typis imprimeretur; quo nihil mihi gratius, nec jucundius accidere potuit. Sed à tam propenſa humaniſſimi in me hominis voluntate aliter expectari non poterat; ac, de utraque re, immortales tibi gratias ago habeoque, ut debeo. Mitto, ut jubes, quatuor ejus operis folia; reliqua deinceps, octavo quoque die, miſſurus. De forma & characteribus, quibus imprimendum ſit, nihil præfinire audeo, ſed totum in tuam voluntatem judiciumque rejicio, quo nihil poteſt inveniri ſapientius. Gallucium Siniſtrum, adhuc convenire non potui; deterritus, contractioribus his diebus, itineris longitudine; nam ædes meæ, ab ædibus illius, immane, quantum diſtent; ſed multo magis, corruptis Vrbis viis ab imbribus, quas non aliàs altiore obductas limo me vidiſſe commemini. Sed quamprimum, curabo mandatum tuum diligenter, ac de re quam cupis, certiorem te proximis literis faciam. Doleo vehementer, ex animi tui ſententia te minus valere, & aliquanto imbecilliore capite, ob perpetuos ſtudiorum labores, uti. At, ſi tibi tuorum in te amicorum ſtudia, ſi

Sedis

Sedis Apoſtolicæ utilitas, quam ex te capit, eſt cordi; quæſo te, ut valetudinem tuam cures diligentius; &, quoniam omnis tibi, à medicis, cogitandi labor interdictus eſt, quoties ad te literas dedero, (quod, quia ita à te mihi imperatur, faciam ſæpe,) ne mihi reſpondeas, &, ſi quid inciderit, in quo mea tibi opera eſſe uſui poſſit, id ad me deferendum per alios cures. Malo enim humanitatis, eloquentiæ, doctrinæque tuæ fructu carere, quam vel minimo, valetudini tuæ, detrimento vel incommodo eſſe. Vale. Romæ, v Idus Ianuarii, CIↃIↃCXLII.

IV.

Doctiſſimo nobiliſſimoque viro

TYRRHENO.

CVm iterum ac ſæpius carmen tuum elegantiſſimum, de Chriſti domini natali lectitaſſem, cœpi egomet mecum cogitare, quodnam ſimile donum, tuo dono contra comparare pro viribus poſſem. Et aliquandiu in hac cogitatione defixo, proxima Dionyſia reduxerunt mihi ad memoriam D. Catharinam Senenſem, Virginem ſanctiſſimam, ac popularem tuam, quam feriis Bacchanalibus legimus, maximis à Chriſto fuiſſe beneficiis affectam. Itaque hos elegos cecini, ita fortaſſe inepte, ita ineleganter, ita indocte, ut tu ipſe, vel quivis alius, cum legerit, jure dicturus de me ſit id, quod eſt in proverbio, Aſinus ad lyram; ita me abhorrere atque eſſe abſurdum, intelliget. Sed, quid vis? non potui me continere, quin hæc incondita funderem: intempeſtive omnino: nam fuiſſem excuſandus, ſi tum ad canendum me contuliſſem, cum calido latravit Sirius æſtu; quo tempore, ut Poëta inquit, reſonant arbuſta cicadis: nunc vero nullum mihi excuſationis perfugium eſſe relictum video, qui, eo tempore anni, vocem exerceo, quo, ob frigoris diritatem, cicadæ, ranunculi, grylli, atque alia ejuſmodi animalia, à natura ad canendum, ſive potius ad obſtrependum clamore moleſtiſſimo auribus, genita, ſilent. Vnum me forte à reprehenſione ho-

minum vindicabit; ardens nimirum ac vehemens, ad te munuſculo aliquo remunerandum, voluntas, qua incendor; cui mihi fas non fuit obſiſtere: hæc in me iſtam tam ineptam verſus faciendi cupiditatem excitavit, inflammavitque. Sed quamquam videri poſſim irriſione dignus, quod rem, ab uſu atque exercitatione mea remotam, & ad quam minime à natura factus ſum, hoc eſt, poëſin, attigerim, illud tamen objici mihi jure non poterit, quod judicium defuerit in eligenda materia, quæ tibi aliiſque probari non vehementer poſſit; cum ſim conatus explicare ſacros D. Catharinæ amores, ſolicitudineſque, quibus, ex Chriſti, ut ipſa putabat, abſentis deſiderio, affligebatur. Etenim, ſanctiſſimæ Virginis nomen, cujus ad meos hos verſus ſtudia non alliciat, quamvis eorum ſimiles, quos olim Fauni vateſque canebant? Sume igitur id à me munus, quantumvis exile ac tenue, tanquam meæ in te obſervantiæ, & in Catharinam pietatis teſtimonium, & ejus quod non recte faciam, agendi temeritatem, meæ incenſæ, ad te remunerandum, ut antea dixi, voluntatis excuſatione defende; adeoque, eadem opera nunc præclariſſimo Præſuli Chiſio id à me offerri, ſcito. Vale. Romæ, XVIII Kal. Febr. MDCXLII.

Argumentum Epiſtolæ.

Catharina Senenſis, virgo præſtantiſſima, aliquot ſupra hanc noſtram ætatem ſæculis, admirabili ſanctitatis laude floruit, Deo autem ita fuit accepta & cara, ut ſæpe Chriſtus ſe illi palam corporis oculis aſpiciendum objecerit, manuſque & pedes, attrectandos exoſculandoſque, præbuerit, horarias etiam preces cum ea recitaverit, lateris vulnus eidem admoverit, ut divinum inde cruorem, quovis nectare præſtantiorem ſuavioremque, ſuo arbitratu, hauriret. & quod omnem fidem excedit, feriis Bacchanalibus, cum domi ſola ſederet, eo quod domeſtici omnes ſe domo foras ejeciſſent, ut ſpectaculis operam darent, eundem Chriſtum, una cum beatiſſima ejus Matre, Angelorum choris ſtipata, admirabili quadam luce perfuſum, ad ſe venientem excepit: qui detractum ſibi è digito anulum, tanquam amoris

moris arrhabonem, virginis digito inſeruit, atque, ut ſit in nuptiis, applaudentibus Angelorum choris, ſponſa ſibi nomine eandem adjunxit. Verum quia fiebat interdum, ut minus frequenter ſe illi in conſpectum daret, ac cæleſtibus voluptatibus animum expleret, quo videlicet, ut noſtro more loquar, experiretur, quid illa amaret, quid ſimularet, vel potius, ut ea diſtractione diſſidioque, majorem ejus in pectore faceret divini ipſius amoris incendium, illa, quæ ejus diſſidium ferre non poſſet, hac epiſtola queritur, lamentatur, aitque, ſe miſeram excruciari, lacrimantem affli-ctari, dolore curiſque tabeſcere, quia ipſo egeat, quia careat; ac propterea eum orare, obſecrare, ut ad ipſam redeat, ut veteres ſecum amores, mores, conſuetudines, ac delicias exerceat, ni eam malit, quæ per ipſius vitam vivit, ab ipſo, hoc eſt, à ſua vita, diſtractam, demum vita devolvi.

Epiſtola CATHARINÆ SENENSIS ad Chriſtum ſponſum.

Queritur, ſe fuiſſe ab eo relictam: rogat, ut redeat.

ILla tui quondam, dulciſſima cura, voluptas,
At nunc perpetui præda doloris amans,
Sic tibi, poſtremum, morituro ſupplicat ore;
Nec vanum eſt; facient fata propinqua fidem.
Vltima vicini venit cum funeris hora,
Albus olor tales mittit ab ore ſonos,
Quales nunc imo fuſas è pectore voces
Flebilibus cogor conſociare modis.
Non, mihi ſi linguæ centum ſint oraque centum,
Mœſta queam lacrimas enumerare meas,
Quæ, ſimul ac removes dulces, mea gaudia, vultus,
Decurrunt oculis, more fluentis aquæ.
Vndique ſi vaſtis pelagi cingentibus undis
In vacuo ſedeam ſola relicta ſolo;
Non ſic perpetuis maculem mea luctibus ora,
Nec feriam ſæva pectora nuda manu;

Vt, ſine te, lacrimis undantibus oſtia pando,
Et crebro laceros verbere tundo ſinus.
Occurrunt animo metuendi mille figuræ,
Eripitur tota queis mihi nocte quies.
Illa pavore vacat, cui te contingit habere,
Et quam, pacato numine, dexter adis.
Aſpice, quæ fueram hoſti formidabilis, ut nunc,
Ignavus cogat me dare terga timor.
Nec vires animuſque ſubeſt, geliduſque recurrit,
Hoſtis ab aſpectu, cuncta per oſſa tremor.
Suſtineas placido, victam ſuccumbere, vultu,
Conjugii titulo quæ tibi juncta manet?
Te patiente, tuam, qui te male perfidus odit,
Ante tuos oculos ſub ſua jura trahet?
Quod facinus nequeat vilis perferre popellus,
Suſtineat divûm rex, hominumque pater?
Eſt ubi, dic, pietas? ubi caſtæ fœdera flammæ?
Eſt ubi pacta fides? eſt ubi dulcis amor?
Scilicet in me alacri fundentur ab ore cachinni?
Scilicet infidæ fabula gentis ero?
En, quæ, Chriſte, tibi thalamo ſociata jugali,
Syderibus, viſa eſt, inſeruiſſe caput,
Vt famulæ in morem (referent) onerata catenis,
It nunc, tartarei præda cruenta ducis?
Nec procul illa dies aberit, ni ſedulus adſis,
Qua trahar ad Stygios exagitanda lacus.
Eja, age, dulce veni, qualis per gramina cervus
It celer, ad rivos prætereuntis aquæ.
At tibi ſi lacrimæ, ſi ſunt ſuſpiria cordi,
Plurimus hic large qui rigat ora liquor,
Et gemitus poterant, properantes pectore ab imo,
Quo mittebantur, cor tetigiſſe pium.
Sed ſi jam redeant perfoſſi corporis artus,
Si nitidum, geſtans ſpinea ſerta, caput;
Diffugient lacrimæ, tradentur nubila frontis
Obſcuræ aëriis diripienda Notis.
Quos dem complexus! quot plantis dulcia figam
Oſcula! quot manibus, quas terebravit amor,
Quæque manus, ſolido ex auro, plenæque hyacinthis,
Æternis ſatagunt nos cumulare bonis!

Quam

Quam memori, illa dies, animo, quam ſæpe recurſat,
(O mihi ſint tales, & ſine fine dies,)
Illa dies, inquam, qua tu, pulcherrime rerum,
Luce nitens nivea, conſpiciendus ades!
Tempus erat, ventri quo quiſque addictus opimo,
Turpia ſint quamvis, cuncta licere putat,
Cumque, novos induta ſimul turba improba vultus,
Carbaſa per vetitum pandit ad omne nefas,
Perque vias omnes, perque omnia compita, currit
Ogygio qualis concita Baccha Deo.
Ipſa ſedens vacua triſtis meditabar in aula
Mores, nec meritis tempora digna tuis,
Quæ tibi ſæva darent pro dulci præmia vita;
Scilicet interitum, verbera, vincla, crucem.
Sola aderam: namque ingenium moreſque ſecuta
Vrbis, cuncta domus, denſa theatra petit;
Cum mihi lætus ades, manifeſta in luce videndus:
Vera loquar, vero vix habitura fidem.
Fulgebant rutilo radiantes vertice nimbi,
Et vox mortales non dabat ore ſonos;
Stillabant celſi divinæ frontis honores,
Gemmarum in liquidos agmina ducta globos;
Corpus odoratas ſpirabat naribus auras,
Non quas è terra divite mittit Arabs,
Sed quas æternis veſtiti floribus afflant
Ætherei colles, & locus almus alit.
Tum promens dira trajectum cuſpide pectus,
Ad ſecreta animi quà via facta patet:
En tibi cor, inquis, dulcis meus ignis, apertum;
Hauriat hinc ſacri pocula amoris amor;
Sint lacrimæ procul & fugiant, mala ſigna doloris,
Inque ſuum redeant gaudia pulſa locum;
Te riſus cantuſque decent, te ſola voluptas,
Cui pateant cordis regna beata mei.
Vt lapis, ut ſtipes, jacui; vox faucibus hæſit.
In ſtupido tantum pectore frigus erat.
Non tulit & vultus, acies male firma, nitentis,
Sydereum, ſolis clarius orbe, jubar,
Sed tenebris adoperta nigris, lucemque peroſa,
Eſt noctem medio quærere viſa die.

At poſt-

At poſtquam lapſæ ſurgunt in pectore vires,
Luminibuſque redit, te revocante, vigor;
Tum per ſuccenſas currit nova flamma medullas;
Nec moror, ante tuos procubuiſſe pedes;
Et quoniam ſine te nulla eſt mihi vita ſuperſtes,
Vſque, precor, lateri ſim comes ipſa tuo.
Nam propius vita, vitales plenius auras
Os avidum, patulo pectore, carpet hians.
Hæc neque ſicca genas veneror tacitoque labello;
Namque dabant lacrimas lumina, lingua preces;
Cum ſubitus pulcro rutilat tibi riſus ab ore,
Cui par non ullum ſydera lumen habent.
Tum raptam è digitis ſplendenti murice gemmam
Ipſe tenens, blanda talia voce refers:
Empta mihi toto per diram ſanguine mortem,
Clarus hic in parvo qui nitet orbe lapis,
Si tibi ſunt cordi, ut video, connubia noſtra,
Si geminas animas unus adurit amor,
Splendeat æternum, noſtri tibi pignus amoris,
Nec digito à digitis ſit procul ille tuis.
Hic, tua feſtivo genitrix nitidiſſima vultu,
Ducebat ſuperum, læta per aſtra, choros;
Millibus ac cæli niveis comitata miniſtris,
Ipſa eſt conjugii pronuba facta mei.
O tum quanta mihi fulſerunt gaudia! quantus
Venit honos, cum ſic tradita nupta Deo!
Ex illo fulget mihi tempore dives in auro
Gemma, ſuaſque aſtris æmula jactat opes.
Aërias penetraſſe vias, cælique videbar
Limina non dubio me tetigiſſe pede.
Sed dum tuta ratem pacata per æquora ſolvo,
Ac, rerum varias, non ſubit, eſſe vices,
Ah, fugis, & fugiunt tecum pax alma jocuſque,
Firma manent tantum bella, metuſque, dolor.
Nec vox, nec luctus, nec pectore miſſus ab imo
Spiritus, heu, pondus vimque morantis habet.
Vnica nata meo, pulcherrima cauſa, labori,
Aſpera, ſed quamvis aſpera, cara tamen,
Quæ mihi contraxit tantos ſors improba luctus?
Quis furor iratis dat mea vela Notis?

Omnia

Omnia ſi veniunt nobis ſolatia tecum,
Si celerem rapiunt, te fugiente, fugam,
Cur præſens vel ades nunquam, aut ubi veneris, aura
Ocior, & rapidi fluminis inſtar, abis?
Si, deſiderio ut moriar, mea vita, refertam
Muneribus dextram ferſque referſque ſimul,
Heu, patior, quales ſolvunt ſub tartara pœnas
Pectora, flagitiis nobilitata ſuis.
Sic miſer oſtenſis torquetur Tantalus undis;
Hac veſana viri luditur arte fames.
Quid facias hoſti, venias ſi talis amanti,
Si Dominus ſponſæ triſtis & aſper ades?
Quid facias ſervo, rupto qui carcere ſævam
Sit tibi conatus contribuiſſe necem?
At, ſi jure, meis pro factis, improba plector,
Si meritam læſi me premit ira Dei,
(Quod miſera ut verear, culparum cogit acervus,
Quarum mens valido pondere preſſa gemit,
Atque olido nigroque ſimul circumlita cœno
Deformes toto contrahit ore notas,)
Solvantur facili ſinuoſa ligamina dextra,
Atque abeant poſito libera colla jugo;
Sanguinis atra tui mundentur corda lavacro,
Et fiant ipſa candidiora nive.
Nam loca fœda ſitu, lutulentaque ſordibus altis.
Iure fugis, puro non adeunda Deo.
Tum nivei ſoles ſuccedent noctibus atris;
Tum ſubeant dubiis ocia tuta malis.
Laſſaque tum poſitis requieſcant ora querelis,
Tum ſiccæ careant imbre cadente genæ.
At, niſi juſta celer venias in vota precantis,
Non erit, ipſe tua quam tuearis ope.
Nam moneo, nec longa mora eſt, jam deſeret artus
Inque leves auras ſpiritus ibit iners.
Sed neque ſtulta loquor; doleat, quod linquere vitam
Teque querar titulum mortis habere meæ;
Pro quo, plus una dignum eſt conducere vita,
Vel ſemel indignam poſſe ſubire necem.
Illud, dente malo, lacerat mea viſcera morſu,
Quod tua non moriar; quæ tua dicta fui.

Da mites

Da mites animos, teneros da rurſus amores;
Non aderit tenebris mors adoperta caput,
Sed ſumet nitidos, praſtanti corpore, vultus,
Inque meos veniet pulcrior illa ſinus.
Quare age, quid ceſſas, mea lux, mea vita, meaque
Tuta quies, portus, perfugiumque, rati?
Aſpice, ventorum rabie ut, conpage ſoluta,
Pene bibat tumidas naufraga puppis aquas!
Vita veni, mea vita veni; &, ſi mors ſubeunda eſt,
Ante meam vitam, ſit mihi vita mori.

V.

TYRRHENO

V. C. & omni virtutum laude cumulatiſſimo.

GVlielmus Moonſius, qui hîc Romæ Sereniſſimi Electoris Colonienſis negocia procurat, magna cum fidei, integritatis, ac diligentiæ laude; narravit mihi, ſe audiviſſe, qui diceret, minus commodæ valetudinis tuæ cauſam ſuſtinere aërem iſtum, ſua nimia acerbitate tenuitateque capiti infeſtum tuo. Quod facile adducor ut credam: nam Italos novi multos, quos, utpote mitiori craſſiorique ortos cælo, aër iſte ægros fecit: neque ita multo ante, Ieſuitam quendam, Balthaſarem nomine, P. Valentini, qui cum Card. Legato iſtuc profectus erat, ſocium, gravem in morbum induxit; nam poſteaquam Romam rediit, à pituita, ex capite in totum corpus defluente, ita correptus eſt totus, ut omnium membrorum uſum prorſus amiſerit, ac multos dies, tanquam lapis vel truncus, lectulo defixus adhæſerit; adeo ut medici, de eo actum eſſe, pronunciarent; neque quiſquam dubitavit, quin tanta vis morbi, ab eo ſemine ortum habuiſſet, quod regionis iſtius diritas in ipſo reliquiſſet: at deinde ſe colligentes, ſibique ipſi animum addentes, non inutilem nec illaudabilem in eo curando operam adhibuerunt: nam cum conſtaret inter eos, ſtuporem illum torporemque membrorum, à noxio aliquo humore, per totum corpus fuſo, manare, nihil eſſe agendum

dum prius exiſtimarunt, quam ut illum, artificio aliquo & machinatione, foras extraherent: atque vaporario, ad eum uſum facto, multos dies hominem incluſum habuerunt, &, caloris vi, ſudoris illi plurimum excitandum movendumque curarunt: atque ea curandi ratio hunc exitum habuit, ut paulatim membris vigor redierit, ac demum priſtinum illis robur acceſſerit: & nunc, ex ancipiti ereptus, integer ac validus, Domus profeſſæ foribus præeſt. Sed ut ad Moonſium redeam, cujus antea memini, Batavus eſt, Hagæ, nobili loco natus, Græcis ac Latinis literis doctus; & aliquot abhinc annis in hanc viciniam commigravit: itaque, & jure vicinitatis, quod in propinqua parte amicitiæ putatur, & communium ſimilitudine ſtudiorum ac voluntatum, ſe penitus in meam familiaritatem immerſit. Hic Vrbis iſtius, in qua verſaris, nobilitatem, ſitum, amœnitatem, pulchritudinem, civium frequentiam, doctorum hominum, atque omni eruditione principum multitudinem, bonorum librorum copiam, miris laudibus proſequitur. Magna illi ſpes eſt, fore, ut ſacerdotium aliquod locuples ac pingue, ex iis, quæ iſtic numerantur in primis, obtineat, atque, ad eam rem, tuam ſibi, apud iſtum Principem, cui tot annos inſervit, gratiam atque operam uſui & adjumento eſſe poſſe exiſtimat. Proximis ludis Bacchanalibus, Antonius Card. Barberinus inſignem fabulam populo ſpectandam dabit: palatium nimirum, quod Ludovicus Arioſtus, in ſuo Orlando furente, ab Atlante magicis artibus excitatum fuiſſe, cecinit, in eoque tot heroas & heroinas erraſſe finxit. Arioſti carmen deduxit in actus Iulius Reſpilioſus, V. C. more ſuo, elegantiſſimis verſibus; quibus modos fecit Aloyſius quidam, modulator egregius; ſelecti ex cantoribus Pontificiis omnium optimi: qui fabulam agant, actores primarum partium, duo ſunt, M. Antonius, deliciæ domini, ob ſingularem vocis ſuavitatem, & eques Loretus Victorius, cujus ſimilem neque iſthæc neque longe ſuperior ætas tulit. Ajunt, ſcenæ totius apparatum magnificentiſſimum fore, ac regali Antonii Cardinalis animo dignum. Præſtantiſſimi artifices adhibiti,

Qui ſcenam doceant verſis jam frontibus ire,
Sæpius & varios redeuntem promere vultus,
Vt, populi plauſu, concurrat dextera læva,
Omnis & indocta decedat ab aure voluptas,
Adque oculos abeat. namque his plebecula gaudet,
Nec curat, recto maneat num fabula talo.
Sed cur injuſſæ, dictant mihi carmina Muſæ,
Quas procul hinc abiiſſe, loci ſquallore fugatas,

proximis ſuperioribus meis ad te literis ſcripſeram; præſertim cum, non modo ſuus huic loco nitor non redierit, ſed novarum quotidie ſordium fiat acceſſio? Sed fortaſſe venerunt, ut mihi, quam longas ad te epiſtolas dare cupienti, verba ſuppeditarent. Atqui eæ, niſi numeris lege adſtrictis, loqui neſciunt. Sed oro, te ut adverſus aëris iſtius injurias, ſi tibi noxius eſt, tuearis ac munias. Vale, Muſarum amor, ac decus. Romæ, VIII Idus Febr. CIↃ IↃ CXLII.

VI.

Clariſſimo atque omnium virtutum laude cumulatiſſimo viro,

TYRRHENO.

QVatuor jam menſes continuos totos, ferme perpetui de cœlo decidunt imbres, non illi quidem maximi vehementiſſimique; nam vias, præter modum corruptas, expurgarent atque detergerent; ſed ſedati, neque ita magni, qui vias eaſdem, altiori, tenaciori, & ad fallenda veſtigia aptiori in primis cœno obducunt; ac vix ſerenus unus & alter dies intercedit, quo tellus, una cum cœlo exhilarata, eniteat. Sed anni tempus, tam adverſum, moleſtius intolerabiliuſque mihi reddit clivi hujus, olim omnium amœniſſimi, in quo nunc habito, facies, immutata. Nam, quemadmodum antea nihil mundius, nihil venuſtius, ita nunc nihil eodem invenias horridius, fœdius, ac lutulentius. Primum enim, tres ex intimis Principis familiaribus, loci amœnitate capti, ædes, in eo coëmptas, cœperunt altius tollere, ſuoque ex arbitrio formare; ſed, aliquot abhinc menſes

ſes

ſes, (quamobrem, neſcio,) inchoatum ab ipſis opus intermiſerunt, neque adhuc curant ad abſolutionem perfectionemque perducere: at hoc minus eſſet moleſtum; verum ita ab omni parte clivum, rudere, ſabulo, cœmentis, aliaque ad ædificandum materia, complerunt, ut, non modo, quemadmodum inquit ille, è via ſemitam fecerint, ſed vix tantulum loci reliquerint, quo ad Ædem proximam aditus pateat. Deinde, equitum turma, quæ apud nos in hybernis collocata eſt, ipſa quoque, quod reliquum erat viæ, paleis, fœno, ſtercore, aliiſque ſordibus, tum imbribus, tum aqua, qua equos abluunt, ſemper madidis, ita referſit, ut, ubi veſtigium figas, non invenias. At ubinam eſt remoti hujus ab arbitris loci ocium, quies, ſilentium? Profecto, hæc omnia exulatum abiere, nec, quando veterem ſuam in ſedem, tanquam poſtliminio, reverſura ſint, ſcio. Nulli hic antea ſtrepitus, nulli clamores audiebantur; nullis hæc vicinia vocibus, niſi avium cantibus, perſonabat; nihil huc admittebatur, quod poſſet oculos vel aures cujuſpiam offendere: at nunc, dies noctesque, inſaniſſimis importuniſſimorum militum ululatibus omnia percrepant, nocturnis bacchationibus vigiliiſque replentur, impuriſſimis meretricibus celebrantur; de quibus illi ſæpenumero inter ſe contendunt, velitantur, rixantur, ac mutuis etiam vulneribus ſeſe confodiunt. Et miraris, illud à me tam incomtum, tam rude, tam inelegans carmen prodiiſſe? At Muſæ, ut tu melius omnibus noſti, mundiciæ, pacis, ociique in primis cupidæ, ad loca ſordida, inamœna, ac tumultibus referta, non audent accedere. Ab hac igitur turba atque tumultu, & à duobus inſuper tubis, quæ à duabus item valentiſſimis tubicinibus fere ſemper inflatum accipiunt, à ſtudiis iſtis amœniſſimis, atque adeo à me ipſo ſejunctus, & in alia omnia diſtractus, quaſi colligendi mei gratia, ſæpe me confero ad Patres Societatis Ieſu, qui ſunt hic Romæ in domo profeſſa; ac modo unum, modo alterum, modo plures evocari jubeo, ac me illis dedo, cum illis oblecto, ſermones confero, & eorum jucundiſſima conſuetudine ac dulcibus alloquiis recreatus, à moleſtis cogitationibus abeo, atque ad me ipſum redeo. Ac magno

mihi ſolatio in primis eſt Pater Iacobus Fuligattus, quicum, jam inde à puero, vetus mihi uſus neceſſitudoque intercedit. Hic miros mecum de te ſermones agitat, quem probe ſibi notum eſſe ait; quippe qui, cum confeſſiones tuas exciperet, te duce, ad intimos animi tui receſſus & cubilia penetraverit, eaque perluſtrarit, inſpexerit. Vt ille ingenium tuum laudat, ad omnia ſumma natum! ut doctrinam & eruditionem, & eloquentiam, quam in te admiratur, multorum facultati atque induſtriæ, qui aliquod in iis rebus nomen habent, anteponit! ut mores tuos elegantiſſimos, ſanctiſſimoſque, nobili & Chriſtiano viro dignos effert in cœlum! Petivit à me opere maximo, ut ſuis verbis tibi manus exoſcularer, ac ſalutem plurimam dicerem. Egeram, ſuperioribus diebus, cum Gallucio Siniſtro, tuis verbis, diligenter, ut ex libro Salvii, ejus paginæ, in qua clariſſimæ familiæ veſtræ inſignia eſſent depicta, exemplum unum mihi liceret excipere. Qui mihi reſponderat, rem me difficillimam quærere; ſe enim propemodum deſperare, poſſe eum reperiri; quod Salvii ſcripta, una cum innumerabilibus aliis Card. Mazzarini, eſſent confuſa atque permiſta; ac velle ſingula ſcrutari, rem eſſe multæ operæ, magnique laboris. Sed cum poſtea revertiſſem, quod promiſiſſet, daturum ſe operam, ut tibi fieret ſatis; excuſavit Laurentii fratris ægrotationem, qui etiam nunc, ex ancipiti morbo, lecto implicitus, non potuiſſet, ad perquirendum librum illum, animum adjungere; nam id ad ſe eum recepiſſe, apud quem manuſcirpta omnia, quæ fuerant Salvii, reperiuntur; verum ſimul ac ille convaluiſſet, curaturum ſe, ut negocium ſuſciperet; ac tibi viciſſim omnem ſuam operam, ſtudium, & officium defert. Te meliuſcule habere, gaudeo; ſed fac omnino, ut valeas. Ego longiores ad te literas do, quia id mihi te cupere ſignificaſti: at ſi earum lectio, vel minima ex parte, valetudinem tuam deteriorem faciat, ne legas, ſed eas abjicias, vel conſcindas. Multo enim, te, malo valetudinis tuæ rationem habere, quam epiſtolas meas legere, nullo lepore nullaque ſuavitate conſperſas. Iterum vale. Romæ, Kal. Febr. CIↃIↃCXLII.

Doctiſſi-

VII.

Doctiſſimo nobiliſſimoque viro,

T Y R R H E N O.

CLarorum virorum imagines, quas ego oratione, quaſi coloribus, conor exprimere, ipſe quoque, neque ſcite, neque affabre, neque eleganter elaboratas eſſe intelligo. Quamobrem, ſi tibi libitum eſt unquam, eas aſpicere, te videre videor, in hominis imperiti, & ad pingendum delineandumque non aptiſſimi, inſcitia, cachinnos extollere; ac niſi unicuique earum imaginum, ejus, cujus formam referret, nomen antea inſcripſiſſem, fore arbitror, ut te, eorum quoque, qui tibi notiſſimi, & longo uſu amicitiaq; conjunctiſſimi fuere, notitia effugeret. Itaque ejus pictoris, ſimilis omnino invenior, qui magna in tabula omnes omnium formas pecudum pingebat, quas ita deformabat, ut quivis, cum aſpiceret, quænam earum eſſet canis, quæ leo, quæ bos, ne ſuſpicione quidem aſſequi poſſet, niſi ad earum nomina, quæ ſingulis erant appoſita, oculos convertiſſet. Verum; ut meam tibi ſententiam oſtendam, ita ego has ad te imagines mitto, ut de iis imprimendis vel non, nihil ſtatuam omnino, ſed rem totam, in tuum arbitrium judiciumque rejiciam. Nam, ſi lucis uſura indignæ tibi videntur; perpetuis eas tenebris mandandas, vel potius perdendas cures. At, ſi, poſſe eas corrigi, non deſperes, utinam faceres id, quod egregii pictores ſolent, qui uno aut altero penicilli ductu, multa, in tabulis vulgarium artificum pictis, vitia emendant. At id à te magis optare ego audeo, quam ſperare; cui bonæ felicitates omnes adverſæ ſunt; &, ſi quid forte pauxillulum boni contingit, non eſt perpetuum; ſed vix advenit, cum abit, ventis & avibus citius. Nactus eram domum, in clivo, qui, amœnitate & ocio, nulli Vrbis villarum cedit; id, quod ſemper optaveram; cum ecce tibi, à centum & viginti importuniſſimis militibus, cum totidem equis, ut antea ſcripſi, occupatur, omniſque ab eo nitor & ocium exigitur. Verum inconditas eorum voces, moleſtiſſimoſque

clamores, ludum jocumque diceres, præut perpetuus, dies noctéſque, venaticorum canum ad viginti, qui in ædibus, contiguis meis, aluntur, ululatus ac rabies, quod dat incommodi atque pœnarum: nam ſomnum avertit, quietem abigit, mentem eripit, ut animum ad cogitandum vel ſcribendum inſtituere nequeas; & nunc, ut cum maxime, moleſtus odioſuſque, finem ſcribendi facere me cogit. Audivi ac legi, inter ea quæ Acherunti fiunt cruciamenta, damnatorum ejulatus, gemitus, ac ſtridorem dentium in primis numerari: at nihil video, quod æque Acheruntem referat, ut locus hic, ubi nunc habito: ita canum ululatibus odioſiſſimis completur, qui omnem ab animo & à corpore, ſolatii, voluptatis, ociique cogitationem expellunt. Tu fac ut valeas, &, quoniam me in numerum ſervorum tuorum recepiſti, amorem & ſtudium in te meum amplectaris ac diligas. Romæ, Idibus Febr. CIↃ IↃ CXLII.

VIII.

Nobiliſſimo ſapientiſſimoque viro,

T Y R R H E N O.

NOn fuit mihi magnopere quærendum, quidnam potiſſimum his ad te literis ſcriberem. Nam, plus quam vellem, uberem tecum dolendi querendique materiam mihi clades illa miſera atq; funeſta ſuppeditavit, qua regio iſta amœniſſima, ab infeſtiſſimis Catholicæ religionis hoſtibus afflicta ac vaſtata fuiſſe narratur. Venit enim à vobis ad nos nuncius, Cæſaris copias cum adverſariorum copiis, collatis ſignis, acriter conflixiſſe, ſed Cæſarianos fuiſſe devictos, ac peditatum fere omnem cæde deletum, verum equitatum ſe tutum in locum fuga recepiſſe. Tum, ajunt, barbaros, agri potitos, ea facere atque feciſſe, quæ victores, victis hoſtibus, facere conſueverunt; videlicet ſtuprum virginibus, vim matribus familias afferre, fana atque domos ſpoliare, cædem & incendia facere; vos vero, mœnibus urbis clauſos, ex locis editis, prædia ruſtica, ædes ſacras ac religioſas, ardentes fumanteſque deſpicere. Addunt, Colonienſes,

nienſes, homines quietiſſimos, & à ſtrepitu bellorum remotiſſimos, magno eſſe in metu, ne ipſorum ubrs opulentiſſima, ac pacis artibus florentiſſima, in poteſtatem hoſtium veniat. Et ſane tam indignum Catholicæ Reip. caſum, ad quam denique, clades accepta redundat, miſeratus ſum, atque etiam deflevi. At, quænam eſt iſthæc infelicis Germaniæ condicio, ut pepetuo bellorum incendio flagret? Illine præcipua lex calamitatis definita eſt, ut optata nunquam pace potiatur? At nos Itali, quibus adhuc contingit, in ſummo ocio & tranquillitate vivere, tanquam nos pacis ociiq; pœniteat, bellorum cauſas exquirimus, eaque jam ſemina jacimus, unde ii malorum trunci proveniant, ut ad eos evellendos extirpandoſque, vix noſtræ, vel cujuſquam vires ſufficiant. Non te, ſumma eruditione ac prudentia præditum, latet, bella facile incipere, verum ægre deſinere. Nos quidem, noſtris flagitiis atque ſceleribus, jam dudum divinam in nos iracundiam provocamus. Itaque, niſi Deus inducat animum, ignoſcere, male huic Vrbi metuo. Abundat, nec inficior, Roma pluribus vitiis; ſed multis etiam virtutibus floret. ſunt multi improbi, flagitioſi, ac ſe ipſos, ut inquit Apoſtolus, amantes, quos nihil cujuſquam miſeret, ſed omnia ſuam ad utilitatem & commoda referunt; at contra, plures poſſumus adducere, probos, honeſtos, ac religioſos viros, qui ſacras ædes frequentant, ab omnibus vitiis ſe abſtinent, ſuum unicuique reddunt. Quod ſi, propter decem viros, paratus erat Deus, parcere Sodomæ & Gomorrhæ, horum bene facta, preces, & lacrimas, magnam eſſe habituras vim, ſpero, apud patrem miſericordiarum, ut ſit propitius, neque, ut ſementem fecimus, ita metamus. Tu vero in iſtorum miſerorum calamitatibus, auctoritate, conſilio, atque prudentia, ita uti te dignum eſt, gere; tum, fac valeas, ac me ames. Romæ, XI Kal. Martii CIↃ IↃ CXLII.

IX.

Clariſſimo eruditiſſimoque viro,

TYRRHENO.

PVpugerunt me tuæ literæ vehementer, ex quibus intellexi, ſtranguriam plurimum tibi negocii faceſſere: in qua, tantum inaudivi eſſe moleſtiæ atque periculi, ut, ejus ſolum nomine audito, exhorream. Cum vero ſcribis, plurimis te graviſſimiſque occupationibus diſtrictum teneri, videris mihi ejus morbi ceterorumque, quibus premeris, cauſam aperire. Nam, ſi negotiorum ſolicitudines curæque, majore quam par eſt mole, ſe nobis inferant, atque omnibus horis, ſive prandeas, ſive cœnes, ſive cubes, ſive aliud aliquid facias, implicent; jam caput fatigatur, incenditur, ſomnus abigitur, ac bene concoquendi facultas amittitur; tum exinde cruditates exortæ, in urinæ iter commeant, eamque, ne libere fluat, impediunt. Quamobrem, tuæ prudentiæ res eſt, morborum cauſis, quantum poteſt, occurrere, labori parcius indulgere, atque accuratius rationem valetudinis ducere; eoque magis, quod ſi majorem in te vim negotiorum attrahas, quam ferre poſſis, tibi noceas, nec Sedi Apoſtolicæ, cujus rem geris, ſatisfacias, neque ſummo Pont. iiſque, qui iſtam tibi provinciam detulerunt, gratam rem facias; quorum intereſt, te ipſis diu incolumem eſſe, quique, eatenus poſtulant, in iſta provincia recte adminiſtranda, omnes à te nervos ingenii induſtriæque contendi, ut ſalvus ſis, neque nimia diligentia aliquod tibi periculum crees. Statui, Pinacothecülæ meæ modum ac finem imponere. Nam, ut in longo opere fit, ejus me odium ac faſtidium cepit. Deinde ſubiit, inopis & obſcuri hominis Pinacothecam eſſe, non fortunati ac nobilis: etenim magnos magna decent; puſillos ac tenues ſuo ſe modulo ac pede metiri æquum eſt. Proinde indicem imaginum mitto; quod eſt indicium, omnes Pinacothecæ parietes, à ſummo ad imum, eſſe veſtitos, neque ulterius cujuſquam imagini locum in ea eſſe relictum, niſi Celſi Cittadini, jampridem mihi, virtutis

tutis fama, notiſſimi. Cujus ego præſtantiſſimi ingenii formam, rudi meo craſſoque penicillo, conabor exprimere, magis id adeo, ut imperiis tuis obtemperem, quam quod ſperem, poſſe eidem aliquid, ad ſui nominis memoriam poſteritati prodendam, mea ſcripta proficere. Ea enim eſt hominis claritas, ut ſatis ipſa per ſeſe, ſine cujuſquam auxilio, à temporis injuria vindicare ſe poſſit; ea odæ, qua importunum hominis interitum defles, gravitas, elegantia, venuſtas, ut ad eum immortalitati commendandum ſola ſufficiat. Non ſcribam ad te pluribus, ne fortaſſe, longâ atque moleſta literarum mearum lectione, tibi morbum augeam. Romæ, Prid. idus Martii CIↃ IↃ CXLII.

X.

TYRRHENO

doctiſſimo ſapientiſſimoque.

DVos atque inter ſe diverſos animi motus tuæ in me humaniſſimæ literæ concitarunt, Tyrrhene doctiſſime. Primum, dolorem longe graviſſimum excitarunt, cum ſignificant, te à pluribus coporis morbis, tanquam à totidem carnificibus, acriter dilacerari atque divelli. Sed in hujus doloris quaſi tenebris, illud non tenue conſolationis lumen mihi exoriri viſum eſt, quod intelligerem, te, in iis cruciatibus perferendis, uſque adeo fortem impigrumq; præbere, ut ne latum quidem unguem ab officio boni viri, neque à ſapientis gravitate diſcedas, ſed, ea conſolatione, cruciatuum illorum acerbitatem minuas, ut eos tibi à Deo immitti, ſicut vere immittuntur, exiſtimes, quo peccatorum maculas, quarum multas, omnes, ex hujus vitæ contagione concipimus, eluat, teque, ad perpeſſionem malorum, quæ non poſſunt abeſſe, fortiorem efficiat. Sapienter omnino, mi Tyrrhene: unuſquiſque enim, atque is præſertim quem in filii loco Deus diligit, ſuos habet adverſarios, & quaſi lictores, à quibus perpetuo diverberetur excrucieturque; atque omnia hæc ad utilitatem noſtram tamen. Expoſui hæc Iacobo Fuligatto, atque etiam particulam literarum

tuarum oſtendi, in qua, illius de te memoriam tibi eſſe gratiſſimam, ais. Qui viſus eſt magnopere commoveri; tibique eſt auctor, ut valetudini tuæ diligentiſſime ſtudeas: cui maximo adjumento fore exiſtimat, ſi te, quantum poteſt, à curis omnibus eximas, ac præſertim à laboribus animi, atque ad ocium & tranquillitatem conferas; præterea, pro tua incolumitate, aſſiduas ac vehementes ad Deum preces ſe effuſurum ſpondet. Ex altera vero parte, ex iiſdem tuis literis voluptatem non minimam cepi; ex quibus intellexi, meum tibi carmen, non ita incomtum ac rude viſum fuiſſe, ut ego exiſtimabam. Auſus ſum etiam Aloyſio Card. Cappono illud oſtendere; quod adeo viſus eſt probare, ut non ſolum honorificis verbis, verum etiam munuſculis, ſibi gratum extitiſſe, ſignificaverit, quod ejus ſibi legendi copiam feciſſem. Non potui me continere, quin alio carmine maximas illi gratias agerem. Mitto illud ad te, pro eo, quod mihi miſiſti; iniqua plane compenſatione. nam tuum, ſine inflatu atque tumore, ſe in altum tollit; meum humi ſerpit, tutum nimium, ut ait ille, timidumque procellæ: tuum artificii, gravitatis venuſtatiſque plenum eſt totum; meum, ſine venere, ſine pondere, ſine arte: tuum aures implet; meum, à ſe jejunas inaneſque dimittit. Neque te participem illius feciſſem, niſi in eo veriſſimæ laudes continerentur Epiſcopi Neritonenſis, Chiſii, Sedis Apoſtolicæ Nuncii apud Vbios, tibi notiſſimi. Cogito, omnino à verſibus animum avocare, ad quos faciendos, nulla mihi propemodum, à natura, data eſſe inſtrumenta intelligo; tibique in hac re, ſicut in aliis, cedere, faſceſque ſummittere. Aveo ſcire, quid agas, num morbi, qui te excruciant, aliquid de ſua in te vexando acerbitate remiſerint, vel, id quod magis cupio, te plane dimiſerint. Tu interim, quo tam optatus ad nos nuncius pervenire poſſit, diligenter iis, quæ à medicis imperantur, obtempera. Romæ, v Kal. Aprilis CIƆ IƆ CXLII.

Aloyſio

Aloyſio Card. Cappono.

Magne heros, Tyrio qui tempora murice felix
Vincta gerens fulges, ſacri pars magna ſenatus,
Quo totus veluti ſe cardine vertitur orbis;
Cum tanti facias ſolus mea carmina, cumque
Tot me muneribus large, tot laudibus ornes,
Dulcia corripiunt ſtupidam mihi gaudia mentem,
Quæ ſe tot dici meritis opibuſque potentem
Audit, judice te, quo nil præſtantius uſquam,
Excitat & fuſas languenti in pectore vires
Ingenii, ad pulcras artes, animumque jacentem
Erigit, atque novas alacrem ſpes ſumere cogit;
Qui propriæ contemptor opis, pravoque pudore
Actus, quos tulerat partus in luminis auras,
Perdidit innocuos tenebris blattiſque ſituque,
Mater ſæva nimis, quoviſque immanior hoſte;
Illud ſæpe timens, cæli ſi libera lucem
Cernere ea atque hominum ſineret docta ora tueri,
Ne ſua ſeque nimis ſtulte videatur amaſſe,
Et nugis voluiſſe meris ſimul addere pondus.
Quod ſi culta Fabi, divini carmina vatis,
Cui datur illa, frequens miris quam laudibus effers,
Atque viri titulo decoratur epiſtola tanti,
Ebibere attenta poſſis feliciter aure;
Ducere nectareos ſuccos, inſertus Olympo,
Teque Iovis credas ſuperumque accumbere menſis.
Tam large facunda favis florentis Hymetti
Ora illi linguamque deæ ſparſere canoræ;
Vt tibi det liquido dulciſſima carmina melle.
Illum olim felix hilari Ferraria vultu,
Iura ſibi dare, Prolegati nomine, vidit,
Tempore, quo, juſta divini Numinis ira,
Dira lues Itala paſſim tellure vagatur,
Ac Bellona furens agros devaſtat & urbes:
Quæſtorem Fidei cauſarum ſenſit & acrem
Poſt Melite pinguis, ſterili vicina Coſyræ.
Nunc Vbios decorat, Romani Nuncius orbis,
Explicet ut validis contorta negocia nodis,

Semidei Regis propere juſſa ampla ſecutus,
Mercurii, eloquio, ſimilis, rebuſque gerendis,
Sed fidei laude ac probitatis clarior illo.
Ingenium natura homini, mentemque potentem
Viribus, at corpus tribuit non æqua refertum
Multiplici morbo, ſolido nec robore firmum.
Iamque ut eam pergat, dudum quam Muſa reliquit,
Ire viam, atque tuas percurrere libera laudes;
Ergo, ne jaceam, ne ſim mihi vilis, ut ante,
Te tribuente datur, ſacli laus inclyta noſtri.
Quod ſi non viridi Phœbus pulcraque juventa
Gaudeat, atque hilaris doctarum turba ſororum
Non fugiat fœdam canis rugiſque ſenectam,
Te forſan, levibus vectum per inania pennis,
Miſcerem ſuperis, ſublimi carmine, Divis.
Tum pleno loquerer nitidoque rotundius ore
Ipſe tui varias fœcundi pectoris artes,
Cultaque perpetuo, per tot diſcrimina rerum,
Tempora amicitiæ, conſtanti fœdere juncta;
Capponumque domus, genus alto à ſanguine avorum,
Maxima quo tantum ſe nunc Florentia jactat,
Magna foret longi pars carminis, illaque major,
Quæ tibi, pro grege commiſſo, quatit anxia mentem
Cura. Labor quantus fuit is, quam fervidus ardor,
Cum prope merſa undis gemuit, metuitque Ravenna,
Horrida ne rurſum veniſſent ſæcula Pyrrhæ!
Nam te, non piguit, toties merſare periclis,
Atque offerre animam, trepidis pro civibus, ultro.
Hæc canerem primo, cythara fidibuſque canoris.
Tum vellem, quæ longa tuæ nent ſtamina vitæ,
Fatales Parcas dulci compellere cantu,
Ne properare manu, digitiſque micantibus, auſint
Aurea penſa colo plenis involvere fuſis,
Neſtoris ut ſuperes annos longamque ſenectam.
Sed decurſa bonum mihi tantum præripit ætas.
At, ſi non amor, ut metuo, tibi ſomnia fingit,
Talis & inveniór, qualem tua verba figurant;
Gaudeo, tot locuples opibus, quas credere nunquam
Ipſe meis potui miſeris includier arcis.
Ludicra virtutis ſed ſi te fallit imago &

Vana,

Vana, vel hoc ſtatuis precium perſolvere merci
Decocta, cui nullus adhuc ſucceſſerit emptor;
Quo te pœniteat facti minus, eſt mihi cura,
Vt, qua nunc levis eſt, ſit pondere laudis onuſta.
Vive diu, ſervique tui non immemor eſto,
Qui tibi nunc meritas tanto pro munere grates
Perſolvit ſermone rudi, muſaque pedeſtri.

XI.

Doctiſſimo religioſiſſimoque viro, TYRRHENO.

PErgratum me tibi eſſe facturum exiſtimo, Tyrrhene religioſiſſime, ſi hoc tempore, quo Chriſti Salvatoris noſtri Paſſio, ſolemni ritu ac peculiaribus ceremoniis, celebratur, tecum de ea per literas loquerer. Non enim tu ex eorum numero es, quos vulgo politicos vocant, qui ejuſmodi ſermonibus nolint perſonas graves, & in maximis de Rep. negociis occupatos, illigari. Quaſi vero indecorum ſit habendum, miſſis ad clariſſimos viros epiſtolis, aliis de rebus cum ipſis agere, niſi ad publicas vel privatas utilitates pertinentibus; quæ omnes utilitates nugæ ſunt meræ, præ ut nobis Chriſti paſſio quæ dedit. At ego, cum omni tempore, tum hoc in primis, nullos ſermones, nulla colloquia, optimo atq; ampliſſimo viro convenire magis arbitror, quam de eo judicio, quo ab inimicis ſuis, perditis ac ſceleratis hominibus, circumventus eſt Chriſtus; quo judicio, ſcimus, nullum, poſt homines natos, factum fuiſſe ſceleſtius, neque injuſtius. Sed tam pauci inveniuntur, qui animum ad illud cogitandum inſtituant, ut veriſſima & juſtiſſima ſit illa Dei Patris querela, *Ecce, quomodo moritur juſtus, & nemo percipit corde*! Duo queritur à cogitatione noſtra repelli; Chriſti videlicet innocentiam, & eorum, à quibus ad mortem datur, perfidiam ac ſcelus. *Ecce, quomodo moritur juſtus*! ille, inquit, juſtus, ad quem ne tenuiſſima quidem leviſſimi cujuſquam errati ſuſpicio pervenire potuit; ille, inquit, juſtus, qui eſt fons & origo omnis innocentiæ, ſanctitatis atque

atque juſtitiæ, qui animam ſuam precioſiſſimam, pro injuſtis, pro ſceleratis, pro impiis, ad mortem acerbiſſimam atque indigniſſimam, tradidit; qui iniquiſſimis perditorum judicum ſententiis oppreſſus interiit. Et quomodo moritur? Exquiſitis atque acerbiſſimis omnium tormentis ſuppliciiſque necatus, omnibus verborum factorumque contumeliis ignominiiſque vexatus, crudeliſſimo turpiſſimoque ſervitutis ſupplicio mactatus. *Ecce*, inquit, *quomodo moritur juſtus*! Verbum *Ecce*, eam ni fallor vim habet, ut, quod cogitandum à nobis ſit, non, tanquam abſens, animo repræſentetur, ſed, quaſi præſens, oculis ſubjiciatur. Videtur enim dicere, Hoc tam atrox facinus, hæc tam inaudita crudelitas, hæc tam inſignis atrocitas, non fama ſolum ac literis ad vos perfertur, verum etiam, ad contemplandum, ante oculos ponitur. Neminem enim Chriſtianum virum, paulo ſalutis ſuæ ſtudioſiorem, eſſe arbitror, qui non aliquem domi ſuæ Chriſti crucifixi imaginem habeat, in qua, cum velit, tanquam in aliquo ſpeculo, & Chriſti ejuſdem innocentiam, & ipſius acerbitatem inimicorum, aſpiciat. Sed, de Chriſti innocentia velle plura commemorare, tam eſſe ſuperfluum ac non neceſſarium exiſtimo, quam, multis argumentis ac longa oratione contendere, ſolem hunc meridie lucere. Incredibilis vero Judæorum iniquitas, in irroganda vitæ auctori crudeliſſima morte ſupplicioque, quamquam ex Chriſti innocentia ſatis ſuperque ſe prodat, attamen non inutile, immo plane neceſſarium exiſtimo, ad intima iniquitatis ejuſdem cubilia penetrare, atque, unde ea ortum, vires, & incrementum habuerit, inveſtigare. Etenim, non aliunde, quam ab ira, invidia, crudelitate, ſuperbia, peſſimis animi impulſoribus ſuaſoribuſque, prodiiſſe reperietur. Hinc diſcemus, nunquam animum cupiditati permittere, quæ radix omnium malorum eſt, quæque Dei filio mortem inferendi cauſa fuit; ſed in omnibus, tum dictis tum factis, rationis imperia perſequi, cum eaque conjuncti, illud unum, ad virtutem ad laudem, directum iter arripere. Ita enim nihil temere, nihil perverſe, nihil confuſe, ſed contra, omnia conſtanter, omnia ordine, omnia conſiderate ag-

grediemur. Et ſane ea, in quibus, ad procurandam Chriſti mortem, lapſi ſunt Iudæi, uſque adeo omnem rationis modum excedunt, ut mirum ſit, fuiſſe unquam homines, qui in tanta inconſtantia, levitate, ſtultitiaque, verſati fuiſſe dicantur. Quamobrem, ad demonſtrandum, quam multis animum tenebris & erroribus, expulſo rationis imperio, cupiditas implicet, nullam Iudæorum inſaniâ, in tanto ſcelere ob iram atque invidiam perpetrando, doctrinam efficaciorem eſſe conſtituo. Primum, nihil tam probari omnibus cupiebant, quam Chriſtum jure damnari. Quam id aſſequantur, attende. Concilium, ex principibus ſacerdotum & ſenioribus populi, convocant; quærunt, quid de Chriſto fieri placeat. At quænam erat cauſa cogendi concilii? Lazarus, ab inferis excitatus. Quodnam crimen in medium adducitur? Multarum rerum mirabilium magnarumque patratio. *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit?* Demonſtrant, niſi præſens cautio ſit atque proviſio, in ſummum diſcrimen omnia eſſe ventura. Primus Caiphas ſententiam dicit; in quam poſtea omnes quaſi pedibus eunt; videri ſibi hominem eſſe morte multandum, quo, unius ſupplicio, pene innumerabilium ſalus in tuto conſtituatur. Quæ ſententia quemadmodum propoſitis rebus conveniat atque cohæreat, eſt operæ precium agnoſcere. Quam culpam, quod facinus tantum admiſit, unde illud in eo exemplum conſtitui debeat? Nullum aliud ſubjici video, niſi quia claudis greſſum, cæcis viſum, mortuis vitam reſtituerit. O cæcas hominum mentes! o ſtulta conſilia! Quis unquam, niſi ingratus, niſi perfidus, niſi inhumanus, niſi ſævitia feras & immanes beſtias ſuperans, in referenda gratia injuriam, pro beneficio perniciem, pro ſalute interitum, pro vita mortem tribuendam eſſe decrevit? Quis unquam, niſi ſtultus vel inſanus, rationem concluſit hoc modo, Quod aliquis, verbi cauſa, utilitati ſuis civibus fuerit, idcirco excruciatus, morti tradatur? Immo ex eo, quod tot homines miſeros, afflictos, opis egenos, ſervaverit, adjuverit, beneficiis ac muneribus locupletarit, illud effici & conſequens eſſe dicat, ut retineatur in civitate, conſervetur, inſuper honoribus ac præmiis

afficiatur;

afficiatur; ut ſit, quo quis confugere in ſuis periculis, ad quem deplorare de ſuis calamitatibus, ubi opem invenire in rebus dubiis atq; arduis poſſit. At reſpondebunt, ideo id à ſe conſilium, de Chriſto è vivis eximendo, ſuſceptum eſſe, quod verebantur, ne divinus illi honor à populo tribueretur, atq; hæc officioſa hominum credulitas ipſorum Reip. exitium ac peſtem afferret. Sed quæro; utrum, Chriſtum eſſe hominem, an Deum, arbitrabantur? Si hominem, cur res, ab eo patratas, idoneas eſſe cenſebant, quibus Deus ab omnibus exiſtimaretur? Si Deum, cur eatenus ſtultitia progrediebantur, ut vellent, more gigantum, bellare cum Deo? Sed ſit hic ſtupor in verbis. At, quemadmodum re ac factis ſecum ipſi pugnaverint, accipe; ac mecum animum paulisper attende. Illud in primis, Iudæorum ac principum ſacerdotum animos in Chriſtum concitaverat, quod ſacerdotium, divinarumque rerum procurationem ab ipſis ad gentes transferendam eſſe, ab eodem acceperant, ſeque in iis colonis deſignatos eſſe non ignorabant, qui propterea quod domini vineæ ſervos plagis ac verberibus male multaſſent, ejuſdem filium interfeciſſent, ac fructus vineæ ad ſe domum avertiſſent, extra vineam ejiciendi eſſent, atque alii in ipſorum locum ſubrogandi. Quid igitur accidit? Non expectavit Caiphas, qui erat Pontifex anni illius, dum loco ſubmoveretur, dum honore, quo fungebatur, ejiceretur; ſed eodem ſe ſua ſponte abdicavit, ac ſe ſuoſque in perpetuum omni dignitate ſpoliavit. Quo vitio animi percitus? Furore nimirum mentis, ira atque odio concitatæ. Nam cum ante ipſius tribunal Chriſtum, ſatellitum turba ſtipatum, catenarum nexu conſtrictum, accuſantium vocibus verberatum aſpiceret; rogavit, numnam eſſet Chriſtus, filius Dei vivi? Qui cum ſe eſſe non negaſſet, tum etiam aliqua de futuro judicio addidiſſet, in quo divina ejus majeſtas perſpicua futura eſſet; non tulit ille, ſed hoc reſponſo ſic exarſit, ut pontificiam ſibi veſtem à pectore diſcinderet diſtraheretque. Quid potuit facere elegantius pontifex, in retinendis ſuis ornamentis nimis acer ac vehemens? Habebat in poteſtate eum, unde ſe gentemque ſuam omni dignitate ſpoliatum iri perceperat:

perat: non quærit, cur, vel quando id futurum eſſet, ſed ſtatim manus dat, cedit, contra ſuas fortunas ſuæque nationis utilitatem judicat, dignitate ſe abdicat, ac rei controverſæ poſſeſſionem, quaſi caducam & vacuam, deſerit, quam nullo fere negocio, quos minime volebat, acciperent. Nam, de ſella, de tribunali proſiliens, veſtem, atque ipſa ſibi pontificia ornamenta, ut paulo ante dixi, à pectore diloricavit atque diſrupit. Etenim, tum Matthæus, tum Marcus, ſcidiſſe illum veſtimenta ſua, & Chriſto præſenti blaſphemi calumniam impoſuiſſe, teſtatur. *Tunc princeps ſacerdotum*, ajunt, *ſcidit veſtimenta ſua, dicens; Blaſphemavit, quid adhuc egemus teſtibus? ecce, nunc audiſtis blaſphemiam.* At imprudens huc decidit, inſciens tantum ſibi poſteriſque ſuis mali creavit. Quid imprudens? quid inſciens? Homo Iudæus, ac pontifex, qui legis cæremonias, eo anno, tuendas conſervandaſque ſuſceperat, debuit in præcipuis ejus legis capitibus hæſitare? At, quænam in ea imperabantur? Multa ſane; ſed illud in primis, quod ad Pontificiam ipſius perſonam pertinebat; in quo ipſius exiſtimatio, dignitas, ſalus continebatur; ne ſacerdos cidarim de capite ſuo deponeret, neve veſtimenta ſua diſrumperet. Quamobrem igitur eſt in hanc fraudem, tam importunam, tam impiam, tam ſibi ſuiſque pernicioſam, prolapſus? Ejus rei nulla poteſt afferri certior ratio, niſi quod iræ invidiæque ſtimulis, tanquam furiis, agitatus, non modo à memoria prolapſus ſit, verum etiam à ſe ipſo deciderit. Accipe, vel potius reduc tibi in memoriam (non enim magiſtro ac monitore me eges,) illam principum ſacerdotum ac ſeniorum populi, in hac eadem cauſa, non minus ſuperiore inſignem impudentemque ſtultitiam. Illos triginta denarios, quos ob mercedem parricidii acceptos, Iudas retulerat, vetuerunt in ærarium referri; ne videlicet funeſta illa pecunia reliquum æs ſacrum, quod attigiſſet, cruentaret. Quæ cautio, tam aliena, tam inepta, tam levis, quam multa ſtultitiæ ipſorum argumenta contineat, numeremus. Vtrum ad juſtam, an ad injuſtam cauſam, eam ab ipſis pecuniam numeratam eſſe exiſtimabant? Si ad juſtam, videlicet ad hominem ſacrilegum, impium, ſeditio-

ditioſumque tollendum; cur eam verentur ad reliquum æs ſacrum adjungere? Si ad injuſtam, nimirum ad virum ſanctiſſimum, ac bene de Rep. ipſorum meritum, extinguendum; cur non etiam ſe ipſos una cum pecunia, ab altari, à templo, atque adeo à communione hominum ac ſocietate, ſejungunt? Deinde, ſi argentum, pro capite juſti repenſum, ita eſt corruptum ac peſtilens, ut ejus contagio reliquis etiam nummis, quos attigerit, obſit; quomodo ii, qui tanto ſe parricidio contaminarunt, nullam impuritatis ac corruptionis notam contraxiſſe dicantur? Quid? pecunia, animæ, ſenſus, ac rationis expers, tantopere alterius ſceleris invidia laborabit, ipſe vero auctor injuriæ, ſceleris, perfidiæ, ſenſu ac ratione præditus, divinis & humanis legibus ab injuria alteri inferenda prohibitus, nullum ex ſuo ſcelere vitium & damnum accipiet? Poſtremo, vide varietatem & inconſtantiam ſententiarum. Pecunia, ad proditionem & interitum Chriſti erogata, improbatur; proditio & interitus ejuſdem laudatur. Sed epiſtolæ modum nimis excederem, ſi vellem ea omnia complecti oratione, quæ Iudæi in Chriſti cauſa improbe, ſtulte, & inconſtanter admiſerunt: ex quibus manifeſte colligitur, in eorum animis, & Chriſti innocentiam, & ſummum in eundem odium invidiamque, pugnaſſe. Verum, ne longum faciam, neque te, innumeris prope negociis obſtrictum, diutius detineam, neque, tot tantarumque ægritudinum mole oppreſſum, legendi etiam labore defatigem; unum eligam, quo breviter explicato, totum hunc locum perorabo atque concludam. Nihil Iudæi tam miſere cupiebant, ut diximus, quam Chriſtum, ſupplicio ac morte affectum, ſibi ab oculis removere: ſed illud ſimul laborabant, ut necis ejuſdem culpa, ab ipſis ejiceretur, atque in alios refunderetur: idque eventurum ex ſententia putarunt, ſi ille prætoris auctoritate juſſuque ſublatus fuiſſet in crucem. Quæ eorum cautio duo nobis ſubjicit; primum, Chriſti Domini innocentiam, quæ apud inimiciſſimos homines tantam vim habuit, ut, ob ejus cruciatum & mortem, in ſummum hominum odium ſe incurſuros arbitrarentur; deinde, novum quoddam & inauditum Iudæorum

in Chri-

in Chriſtum odium crudelitatemque proponit, quæ tantas eorum animis tenebras offuderat, ut, quemadmodum de Ægyptiacis illis proditum memoriæ ac literis eſt, propemodum comprehendi, ac teneri manibus, poſſent. O ſtultos homines! ô ineptam veſtram rationem! ô ſcelerata conſilia! Tantæne erant apud vos tenebræ, ut in illa nequiſſima Prætoris ſententia, veſtra vi coactuque expreſſa, obſcuram veſtram cupiditatem fore exiſtimaretis, neque totam ejus ſententiæ invidiam, in vos redundaturam, quoniam eſſet alterius ore prolata? Nam quis eſt princeps atque auctor injuriæ habendus? numne ille, qui coactus & invitus injuriam fecit, an ille, qui eum coëgit ut faceret? Huic omnes, ſine dubio, acceptam eam referent; in illo altero vix invenient, quod reprehendant: quid enim intereſt, utrum quiſpiam per ſe, an per alterum, impium atque atrox facinus, conceptum mente, perficiat? Sed quid opus eſt verbis? Exitus oſtendit, num, per hanc rationem, tantam infamiam effugerint. Etenim ab ea die, uſque ad hanc diem, majore, ob Chriſti mortem, ſunt apud omnes homines odio, quam ſi ſuis ipſi manibus tanto ſe facinore contaminaſſent. Quotus enim quiſq; eſt, qui eorum meminerit, quorū manibus acerbiſſimo omniū ſupplicio affectus eſt Chriſtus? Et merito: nam, cum veſtro coactu, veſtra vi, ô Iudæi, tantum ſcelus perpetratum ſit, non tam eſt quærendum, quorum manibus, quam quorum cupiditate impulſuq; perfectum illud extiterit: itaque cohors illa prætoria, quæ volentem eum invaſit, comprehendit, catenis vinxit, veſtra erat manus; milites, qui nudarunt, veſtræ item erant manus; lictores qui verberarunt, carnifices, qui in crucem egerunt, manus veſtræ, ſine controverſia, fuerunt. Sed quonam me doloris æſtus abripuit? Paulo ante verebar, ne hæ meæ literæ longius excurrerent, quam epiſtolæ ratio patiatur: at nunc ſciens prudenſque, dum Chriſti cauſam ago, dum eorum iniquitatem coarguo, inſaniam exagito, dum vehementius, in eorum ſævitiem, invehor, pene orationem in epiſtolam incluſi. Sed æquum eſt, te mihi ignoſcere, ſi quid hoc tempore, quo, anniverſariis ſacris, ad memoriam paſſionis Chriſti revocamur, tanti ſceleris atrocitate commotus, pietatis,

 veritatis,

veritatis, ac miſericordiæ cauſa, epiſtolæ modum, ſcribendo, fineſque tranſierim. Sed ut me revocem eo, unde diſceſſeram; Iudæi in eo, quod videri vellent à Chriſti morte alieni, ſingularem ejus innocentiam vel inviti teſtantur; in eo, quod ejus ſanguinem tantopere expeterent, ſuum in illum odium crudelitatemque declarant: quorum furore, tanquam tempeſtate aliqua, abrepta univerſa civitas, in eam inſaniam delapſa eſt, ut omnes prope furentibus ſimiles, quem paulo ante fauſtis acclamationibus, tanquam ovantem, in civitatem reduxerant, quem divinis honoribus dignum judicaverant, in ſupplicium, in crucem rapi poſtularent, ac prætori, qui tanti facinoris invidiam formidabat, reſponderent, ne cunctaretur, neque metueret; ſeſe enim omnem invidiæ tempeſtatem, ſi qua orta eſſet, in ſuum ac ſuorum filiorum caput excepturos. Venit mihi in mentem, hoc loco, veteris illius Ariſtidis; qui ob ſingularem innocentiam, unus poſt hominum memoriam, in Græcorum Rep. cognomine Iuſtus eſt appellatus. Hic, cum à concitata multitudine in exilium ejiceretur, ac quendam animadverteret ſcribentem ut patria pelleretur, quæſiſſe ab eo dicitur, quare id faceret, aut quid Ariſtides commiſiſſet, cur tanta pœna dignus putaretur; ille reſpondit, ſe ignorare Ariſtidem, ſed ſibi non placere, quod cupide elaboraſſet, ut, præter ceteros, Iuſtus appellaretur. Non equidem auſim Ariſtidem Chriſto in comparatione conjungere; neque enim ullo modo ille comparandus ad Chriſtum eſt; fuit ille quidem inſignis, abſtinentia, probitate, juſtitia, ſed nihil ad Chriſtum, præ cujus ſanctitate atque juſtitia ceterorum omnium ſanctitates, juſtitiæq;, iniquitatum inſtar habere videantur: at ſi concitatæ in Chriſtum multitudinis cauſæ inveſtigentur, non aliæ, ſicut in Ariſtide, reperiantur; niſi quod vitiis hominum exagitandis, ac rebus mirabilibus patrandis perfeciſſet, ut omnium juſtiſſimus, denique ut Dei filius haberetur; quod principibus ſacerdotum, Scribis, Phariſæis, perpetuis Chriſti inimicis, minime placebat, ac propterea civium ſuorum animos in illum inflammarunt. Atque hæc ſunt, quæ nos eſt æquum, hoc tempore, de Chriſti innocentia, & Iudæorum iniquitate, meditari;

tari; ne incurramus in eam reprehenſionem, *Ecce, quomodo moritur juſtus, & nemo cogitat corde!* Fructus autem hujus meditationis erit, ut in deliberationibus, atque in omnibus actionibus ſuſcipiendis, perturbationes animi à noſtris conſiliis repellamus. Ita enim omnis ſemper levitas ac temeritas aberit; contra, ſumma illis prudentia atque conſtantia aderit. Sed hæc hactenus. Aloyſius Card. Cajetanus, homo, ut noſti, tenui, ac nulla ferme valetudine, quippe cui nihil tam familiare erat, quam ægrotare, tandem VII Idus Aprilis eſt paucorum dierum morbo conſumptus. Verum aliquot ante dies, quam in morbum, quo periit, incideret, cœperat aliter ſe illi corpus habere, quam conſueverat; quod ab Hippocrate inter ſigna adverſæ valetudinis futuræ numeratur. Nam,ut animadvertere potuiſti, cum eſſes hîc Romæ, erat homini corpus gracile, tenue, infirmum; facies macilenta, ſqualida, ac prope cadaveroſa; ſed repente plenior, ſpecioſior, & coloratior, factus eſt; adeo ut omnes admirarentur. At, cui hæc contingunt, jubetur à medicis, ſuſpecta habere bona ſua; quæ, cum ad eum pervenerint locum unde ultra progredi nequeant, retro, ut medici iidem ajunt, quaſi ruina quadam, revolvuntur. Attamen erat omnium opinio, eum diutius fuiſſe victurum, niſi, alieno tempore,(nihil enim tum ea re opus erat,) potione medicata, quam medicus illi diluerat, purgare corpus voluiſſet: cujus medicaminis, ſimul ac in venas ſeſe diffudit, ea vis fuit, ut non modo, non integram illi valetudinem, quemadmodum in primis optabat, ſed exitium ac peſtem, id quod minime volebat, attulerit, tanta celeritate, ut nullum eidem ſpacium, ſaltem ad peccata, confeſſionis Sacramento, delenda,reliquerit. Quamquam ſit credibile, hominem illum pium, ſacris Epiſcopalibus initiatum, atque in Patrum purpuratorum ſenatum adlectum, qui ordo vacare vitio ac ceteris ſpecimen eſſe debet, non imparatum, à morte fuiſſe oppreſſum. Fertur Iulius Cæſar, in ſermone, nato ſuper cœnam apud M. Lepidum,quiſnam eſſet vitæ finis commodiſſimus, repentinum inopinatumque prætuliſſe. Sed habeat ſibi ille,ac ſui ſimiles, talem exitum vitæ; neque tu, neque ego, neque Chriſta-

nus quiſpiam, cui cor ſapiat, mortis ſuæ tempus compelli in eas anguſtias velit, ut, de ſtatu animæ ſuæ in perpetuum conſtituendo, ne cogitandi quidem ſpacium obtineat. Vale. Romæ, III Idus Aprilis CIↃ IↃ CXLII.

XII.

Doctiſſimo præſtantiſſimoque viro, TYRRHENO.

GVilelmus Moonſius, plurimum ſe tibi debere, fatetur, pro tua ſingulari in ipſum voluntate; deque ea incomparabiles tibi gratias agit; ac pro certo exiſtimat, ubi uſus veniat, te ſibi nunquam defuturum, opera, auctoritate, & gratia. Atque utrique noſtrum jucundiſſimum accidit, eos morbos, qui tibi negotium faceſſerent, menſem jam integrum magnopere moleſtos non fuiſſe. Atque optandum eſt maxime, perpetuo ſecundam tibi valetudinem contingere. Nam ſcito, hic Romæ grata eſſe, quæ facis, quæque feceris, omnia. Narrat enim idem Moonſius, Pontificem max. ſumme ipſi laudaſſe ingenium, eruditionem, probitatem, aliaſque eximias animi tui dotes, & in primis prudentiam, induſtriam, diligentiam, ac dexteritatem in negotiis, ſeque iis adeo delectari, ut nihil deſideret melius: Franciſcum vero Card. Barberinum palam omnibus audientibus dicere, ex iis, qui foris cum imperio ac poteſtate aliqua ſint, neminem ſe videre, quem tibi, in Rep. bene gerenda, anteponat. Quamobrem eſt quod gaudeas, tua illis merita nota eſſe atque perſpecta, quibus referendæ illis gratiæ facultas datur. In Eudemia, P. Monſtrum, qui librum diligenter evolverat, nihil deprehendit contineri, quod cujuſquam famam lædat, vel Principis alicujus majeſtatem minuat, vel fidei ſanctitatem offendat, vel mores hominum corrumpat; immo multa afferri, lepida, jocoſa, quæque poſſint, feriato à negotiis publicis, animum relaxare. Et Card. Barberinus, ſumto in manus libro, ſenſit, ex ejus lectione, ea ſe voluptate perfundi, quam ipſi prædixerat P. Monſtrum. Quod ego ut audivi, bono animo fui. Carmina vero, mihi abs te miſſa,

miſſa, ſæpius legi; ac ſatis verbis dici non poteſt, quam ea mihi viſa ſint lepida, elegantia, docta, atque venuſta. Sed quid vis dicam? niſi, te tui ſemper ſimilem inveniri, ſive ſumto ſpacio ad cogitandum, ſive imparatus, ad ſcribendum accedas? Equidem ego hac tua ingenii celeritate, quæ longe diuturnam aliorum diligentiam ſuperat, prope deterritus, multo magis hæreo in ſententia, ut omnino à ſcribendis verſibus animum avocem; idque non faciam, quod non optime poſſim; ejuſque non inprudens conſilium perſequar, qui

Indoctuſque pilæ diſcique trochique quieſcit,
Ne ſpiſſæ riſum moveant impune catervæ.

Vale. Romæ, Kal. April. CIↃ IↃ CXLII.

XIII.

Clariſſimo eruditiſſimoque viro,

TYRRHENO.

NArrat mihi Moonſius, vicinus ac familiaris meus, fere ſe nunquam ad Franciſcum Card. Barberinum accedere, ut mandata ſibi à Principe iſto negocia referat, quin ſecum ille longos & honorificos de te ſermones habeat, & ingenium in primis tuum, eloquentiam, probitatem, eruditionem, ac bonarum artium ſtudia laudet: proximis vero diebus, cum eadem de cauſa ad illum veniſſet, atque injecta eſſet mentio de te, diſertis eundem verbis dixiſſe, neminem ex iis eſſe, qui aliquam Sedi Apoſtolicæ operam domi foriſve navarent, quem tibi, ſtudio, ſedulitate, prudentia anteponeret: ſed cum addidiſſet Moonſius, mihi tecum amicitiam uſumque literarum intercedere, caſtigaſſe illum, graviſſimis verbis, immodeſtiam meam, qui tibi, tot adverſæ valetudinis incommodis pene circumvento, auderem morbi augendi cauſam afferre, propterea quod homini humaniſſimo, & in perſequendis officiis diligentiſſimo, meis literis reſpondendi vim propemodum ac neceſſitatem afferrem. Quamobrem à tanto viro, ac ſalutis tuæ in primis ſtudioſo, admonitus, vel potius objurgatus, ſtatueram,

tueram, omnino quieſcere, nec, niſi à te juſſus, vel re aliqua neceſſaria coactus, verbum poſthac unum ad te ſcribere. At, cum fere in id tempus, quo hæc mihi proponerem, incidiſſent feriæ, Chriſto ab inferis reſurgenti ſacræ, paululum me illæ, à ſuſcepto conſilio depulerunt, compuleruntque, ut ipſas tibi, per literas, quando coram non licet, fauſtas atque felices à Deo precarer. Tum, ſenſi, me ad id literarum officium tibi præſtandum, hoc tempore, quadam quaſi religione incitari: quod vererer, ſi illud prætermitterem, ne contra conſuetudinem, contra mores, atque adeo contra humanitatem, venirem. Quamobrem patere, vel potius concede hoc amori in te meo, tuiſque in me ſingularibus meritis, ut tibi paululum his literis ſim moleſtus: cum hac tamen condicione, ut nullam, ad reſpondendum illis, operam ſumas. Scio, te mihi bene velle, omnia bona cupere, optareque, ut hæ feriæ ſanctiſſimæ religioſiſſimæque, peræq; ex ſententia mihi contingant, ac tibi. Itaque ſumma eſſet impudentia, poſcere, peculiaribus hoc etiam literis mihi eſſe teſtatum. Ac ſi antehac, mearum literarum frequentia, tibi ſatietatem & faſtidium exhibui, ſcias, id me tua voluntate ac juſſu feciſſe: nam memini, te mihi imperare, ut ſæpe, quam longiſſimas poſſem, ad te literas darem. Simul illud memoria teneo, te valetudine minus proſpera uti, ac noris, me cum audivi, rogaſſe, ne ullum meis epiſtolis reſponſum dares, neve ea de cauſa animum ſolicitares. Nam, quamvis tuæ mihi literæ voluptatem incredibilem afferant, fiunt tamen minus jucundæ atque ſuaves, ſi aliquod ex iis valetudini tuæ incommodum vel minimum accidat. Te igitur cura diligenter, ac Reip. bonis artibus, & amicis, perquam diutiſſime incolumem ſerva; &, ſi quando, vel à te juſſus, vel ab amore, quo te proſequor, impulſus, literarum ad te aliquid dedero, quæſo, ne, iis legendis, oculos defatiges, quæ mihi ſcribenda viſa ſint, ſed tuorum ad id quempiam adhibeas. Mihi enim abunde ſatisfactum erit, ſi alienæ vocis auxilio, quod ſcripſerim, per aures tibi in animum immigrare patiaris. Vale, atque in tuis, caritate incenſis, ad Deum ſacrificiis ac precibus, aliqua tuum animum mei, peccatorum omnium deterrimi, memoria ſubeat.

Hoc

Hoc nihil mihi gratius accidere poterit. Romæ, XV Kal. Maji CIↃ IↃ CXLII.

XIV.

Doctiſſimo, atque omnium virtutum laude cumulatiſſimo viro,

TYRRHENO.

Magna primum voluptate atque lætitia tuæ me literæ affecerunt, quarum erat initium, te non ita acerbe crudeliterque ut antea, ab illis morbis, à quibus oppugnaris, diſtrahi atque cruciari; quamquam identidem aliquid tibi negocii exhiberent: nam ſpes erat, fore ut tandem dilaberentur, atque evaneſcerent. Sed poſtea prope exanimatus ſum, cum legi, medicos aliquot, certis quibuſdam ſignis adductos, opinari, inflammationem iſtam, & urinæ reddendæ difficultatem, pluribus à calculis oriri, qui itineri urinæ ſeſe intus opponant, qui calculi Spadanis aut Andernacenſibus aquis ſint in arenam redigendi, vel, ſi nihil ſit præſidii in illis aquis, ſectione extrahendi. Quamobrem, *quaſi ſolſtitialis herba*, ut Calidorus ille Plautinus ait, *pauliſper fui*; *repente exortus ſum, repentino occidi.* Verum admiratus ſum magnum & excelſum animum tuum, qui nullis dolorum vel mortis terroribus permoveatur, ſed, ſi ita Dei voluntas ferat, ad omnia perferenda ſit paratus, quantumvis aſpera atque acerba. Qui quidem animus non poteſt aliunde, quam à recte factorum conſcientia, tantam firmitatem ac robur accipere. Sed re vera, ſi cuiquam tantum mali ſubeſt, ut, niſi ſectione, ſuccurri non poſſit, hic, non eſt, quod magnopere commoveatur. Nam hæc curatio, quæ olim à veteribus medicis, non procul à periculo abeſſe, exiſtimabatur, quæque illi tantum corpori adhibebatur, quod jam novem annos, nondum quatuordecim exceſſiſſet, nunc medicorum noſtrorum induſtria, prope tuta eſt, & convenire omni ætati putatur. Novi ego hic Romæ ſenes, annos ſexaginta & eo amplius natos; qui cum pluribus calculis laborarent,

epiſtolam, quam nuper ad Silveſtrum Colliculam medicum ſcripſi, qui me officiis beneficiiſque omnibus complectitur. Ridebis; ac carbones tibi miſſos dices, pro auro. Sed fieri aliter non poteſt. Muſas accuſa, quæ ad me, nullius precii ſenem, non audent accedere. Vale. Romæ, IV Kal. Iunii CIↃ IↃ CXLII.

Ad Silveſtrum Colliculam, Vrbani VIII medicum.

DVm latis animum Sophiæ, Silveſter, in hortis
Oblectas, doctaque manu per compita paſſim
Et per quadra legis flores herbaſque virentes,
Queis formoſa ſalus ægros revocetur in artus;
Ianiculi poſitus viridanti in vertice triſtis,
Vſque premor duplicis laceratus verbere curæ,
Quod ſubeunt animum male geſtæ tempora vitæ,
Et mutata oculis offert ſe collis imago.
Heu, quam diverſa, heu, quantum nunc diſtat ab illa,
Quam Dryadum cupiere chori, cupiere Napææ,
Ianiculus, Muſarum olim Phœbique voluptas,
Præ quo contemſit nemoroſa cacumina Pindi,
Caſtalios fontes, Zephyris agitataque Tempe;
At nunc Bellonæ & ſævi domus horrida Martis,
Caſtra magis, quam læta refert ſpectacula ruris!
Ante quidem, tenero mulcentes aëra cantu,
Dulcibus implebant volucres concentibus auras;
At nunc armorum ſonitus, clangorque tubarum,
Horribili ſtrepitu, timidas ſe fundit in aures;
Quo pelluntur aves & amantes ocia Muſæ.
At tu, Pæonias docuit quem Cynthius artes,
Fragrantes herbas medicos componis in uſus,
Nais pulcra tibi quas, colle virentis Hymetti,
Textilibus fert læta manus onerata caniſtris,
Vt, te præſertim placito curante magiſtro,
Annoſam numeroſa trahat per luſtra ſenectam
VRBANI *virtus magni; quo ſoſpite jactat*
Se pia libertas, & pax redit aurea terris.
O te felicem merito, cui contigit uni,
Poſt ſuperos, ſummi regum, cuſtodia regis,

Pandere cui ſoli fulgentis limina cœli,
Claudere &, imperio, horrendi datur oſtia Ditis.
Non opus hoc fortis fuit, aut dedit obvia caſus
Munera tanta tibi; medica ſed gloria laudis,
Ac veneranda fides, meruit, quod lividus odit,
Qui tibi ſe nequeat meritis conferre minorem.
Ad tua nam veniunt properantes juſſa decoræ
Cum calathis florum Nymphæ; tibi monſtrat Apollo,
Quæ caſiæ virtus, quæ ſint olidique cyperi
Vires, Niliaca & quidquid colocaſia poſſint;
Tum, qui lethales valeant depellere morbos,
Expreſſi in latices, formoſo è gramine, ſucci.
Quare age ſollicitus, cari, ſine fine, parentis
Irriguos nitidoſque frequens te confer in hortos;
Serus ut ad ſuperos migret, ſaturatus & annis.
Ipſa ſalus aderit, lepido nitidiſſima vultu,
Quæ tibi ſe jungat, tecum quæ diluat æque
Alma ſalutiferi ſpumantia pocula roris,
Ne ſacris auſint membris accedere morbi.

XV.

Clariſſimo, atque omnium virtutum laude cumulatiſſimo

T Y R R H E N O.

QVis ingenium tuum non admiretur, ad omnia ſumma natum? Nam quamcumque in partem ſe dat, ſui ſemper ſimile invenitur. Hendecaſyllabi tui, ut ſunt blanduli, eleganculi, venuſtuli! ut eorum ſimiles, quos olim Catullus effudit! Tritura vero, quo nomine elegans illud æſtivum de meſſe carmen inſcribis, præter ſermonis venuſtatem atque nitorem, quo nullus ne excogitari quidem major poteſt, ut delectat! ut ſenſus afficit! ut rem ipſam ante oculos ſtatuit! Equidem ruri tecum eſſe, atque ad pellendos ſolis ardores, *Herculea redimitus tempora fronde*; ruſticanos homines, opus in ſole facientes, videor aſpicere, atque ea omnia cernere, quæ verſibus, quaſi coloribus depicta, in pagella, tanquam

quam in tabula, expreſſiſti. Quam ego ſum cupidus Hugonis Vbaldini, Baſilicæ Vaticanæ Canonici & Archidiaconi, qui nunc abeſt, quique te facit plurimi, aſpiciendi, ut, cum à prandio, animi cauſa, per amœna ac proxima Vrbi loca, rheda vecti circumferimur, tua hæc carmina legenda tradam, eumque exclamantem audiam, Pulcre, bene, recte, non potuit melius! Quas ab eo voces non eliciet ambitio, ut videlicet per hanc rationem à te gratiam ineat; non ſpes utilitatis aliqua exprimet, qui rei nullius eſt cupidus; non tibi aſſentandi ſtudium auferet, quem haud ſcio an unquam viderit; ſed ratio ac veritas extorquebit. Atqui nunquam æque ac modo, ingenii inopia atque tenuitas, mihi onus viſum eſt & miſerum & grave, cum nihil à me poſſim ſumere, ad te remunerandum, ſi non pari, at grato tamen munere. Cui enim, vel mediocriter literis imbuto, nedum tibi, omnium doctrinarum ornamentis inſtructo, gratum poteſt eſſe, quidquid à me prodierit? Sed vide, quo me referendæ gratiæ ſtudium impellat, ut, ne immunes meæ ad te literæ veniant, eo audaciæ procedam, ut non verear, pauca quædam ad te diſticha mittere; quæ mihi heri ac nudius tertius neceſſe fuit, Fatrum S. Honuphrii, cui hodie natalitia dantur, precibus, ſcribere; quorum ſingula ſingulas ſpirituales ſententias, ſimpliciter ac dilucide explicatas, continent; magis id adeo, ut animum legentis moveant, quam ut capiant, atque delectent. Præfigenda ſunt cellulis novitiorum, ita ut unaquæque earum ſuum diſtichum habeat: quibus illi diſtichis, quotidie lectitandis, earum in ipſis virtutum amorem excitare conentur, quæ in illis commendantur. Sed hæc hactenus. Nihil à te mihi poterit gratius accidere, quam ſi interdum, quod tuo commodo fiat, carmina iſthæc, à te olim ſcripta, mittantur. Sunt enim mihi theſauri cujuſdam inſtar, unde divitias eloquentiæ depromam. Vale. Romæ, prid. Idus Iunii CIↃ IↃ CXLII.

Pax

Pax animi.

Dulcia pacatæ ſuccedent ocia vitæ:
Cui Chriſtus cordi, pacis amator erit.

Caſtitas.

Mors, & judicium, & Chriſti patientis imago,
Si tibi ſit præſens undique, caſtus eris.

Studia literarum.

Diligit innocuos, odit ſapientia pravos.
Vt tibi ſe jungat, ſit probitatis amor.

Menſæ frugalitas.

Qui menſas refugit modicas, ſectatur & amplas,
Hic ventri natum ſe probat eſſe ſuo.

Otii fuga.

Otia ſi fugias, fugient te Dæmonis artes,
Namque operi intento vertere terga ſolent.

Silentium.

Sæpe tibi magnos peperere ſilentia fructus.
Nec mala magna minus, garrula lingua dedit.

Paupertas.

Si Chriſto careas, inopem te crede; ſed illo
Si frueris, regum ſperne beatus opes.

Obedientia,

Rectius ille ſui peraget mandata magiſtri,
Illius ore Deum qui dare juſſa putet.

Humilitas.

Excidet elatæ tumidæque ſuperbia menti,
Si recolas, quid ſis, quidque futurus eris.

Oratio.

Orantem fugiet, ſi te conſpexerit hoſtis.
At ſecus, invadet, decipietque dolis.

Monita.

Monita.

Num feret horrendas divini judicis iras,
Qui fugit, atque odio verba monentis habet?

Modeſtia.

Contrahat informem ne pulcra modeſtia labem;
Omnia cernentem, ſis memor, eſſe Deum.

Patientia.

Quem pigeat, tolerare breves minimoſque labores,
Tartareus ſubeat perpetuuſque dolor.

Solitudo.

Turba frequens plures dedit Orco; ſed loca ſola
Innumeros ſuperis inſeruere choris.

XVI.

Religioſiſſimo, atque omnibus eruditionis doctrinæque laudibus ornatiſſimo

TYRRHENO.

DIes Dominicus eſt, Deo trino & uni feſtus ac ſacer: modo redii è re divina: domi ſum ſolus: multa occurrunt animo, quæ audivi; ſed in primis illa, tanquam cygnea, Chriſti Domini vox & oratio, quam, evolaturus ad ſuperos, ſuos ad diſcipulos habuit, *Data eſt mihi omnis poteſtas, in cælo, & in terra.* At non poſſum, quin his literis tibi, quæ mihi ea de re veniunt in mentem, exponam. nam, quem ad potius referam, quam ad te, cui datum eſt, noſſe myſterium regni Dei? nam, ſi effundam ad eum, cujus cordis quaſi palato terrena tantum, nec cæleſtia, ſapiant, jure ab eo irridear, atque audiam, Quid mecum lingua, quam non noverim, loqueris? ſi vis intelligi, dic aliquid, quod plane à meis auribus non abhorreat; ſecus, fabulam, ut dicitur; ſurdo narrabis. At, quinam, inquies, tu es, qui audeas aliis, de Chriſti poteſtate, aliquid tradere? etenim *quis loquetur poten-*

potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus? Vera loqueris; ſum pulviſculus ſum, terra ſum cinis: at canales interdū lateritii, vel fictiles, liquores lucidiſſimos fontium, ad uſus hominum afferunt. Quamquam, non eſt mihi propoſitum, de divina Chriſti potentia, omnia perſequi, neque, quibus ea rebus contineatur, exponere; verum pauca quædam, ex illis Chriſti verbis, *Data eſt mihi omnis poteſtas, in cælo, & in terra*, & proxime ſequentibus, notatione digna excerpam. Quibus verbis omnem vim ſuam Chriſtus voluiſſe experiri videtur, ut nos, à rebus humanis abductos, ad ſui amorem & cultum attraheret. Nam, quid eſt cauſæ, cur homines tanto ſtudio principibus viris ſe in clientelam tradant, eorum tempori ſerviant, ſtudiis obſequantur, niſi quod eos, magnitudine potentiæ, ac præſtantia dignitatis, ceteris anteire conſpiciant? Putant enim, ſub illorum præſidio atq; tutela, omnia ſibi proſpere eventura, nec minimam futuram acceſſionem honorū ac divitiarum. Chriſtus, ut majorem in ipſo, quam in ceteris omnibus, ſpem utilitatum eſſe ſignificaret, *Data eſt mihi*, inquit, *omnis poteſtas, in cælo, & in terra*. Eam videlicet ſibi potentiam obtigiſſe confirmat, quæ per omnes cæli terræque regiones pertingat, iiſdemque, quibus illæ, terminis definiatur. Qui igitur poſthac alterius cujuſquam opibus niti ſe poſtulet, cur alterius cujuſquam ſibi potentiam adoptet, cum audiat, tantum in Chriſto ſibi eſſe opis atque præſidii, ut nihil ſit in cœlo, vel in terra, quod non ejus arbitrio imperioque ſubjiciatur? Hoc intereſt inter principum aliorum & Chriſti potentiam, quod illi non omnia, quæcunque in animum incidunt, poſſunt, ſed pluribus in rebus à ſua potentia deſtituuntur; at nihil eſt, quod Chriſti potentiam effugiat, nihil, quod non præſto ſit eidem, ad nutum. Tum alii potentiores, ut omnia poſſint, non poſſunt animabus noſtris ſalutem dare; ſed poſſunt corpori mortem afferre: at quænam, obſecro, ea eſt potentia, quæ, ut Theodorus Lyſimacho, mortem minitanti, reſpondit, cantharidis vires non excedat? ſed ut, quos lucis hujus uſura privaverint, æternis pœnis addicant, vel cæleſtibus præmiis afficiant, id abeſt ab eorum poteſtate longiſſime: at in Chriſti manu eſt,

nu eſt, eos, qui ſecus quam decuit vixerint, ad inferos detrudere, æternis ignibus tradere, quique recte factis ſibi in cælum aditum aperuerunt, in beatorum ſedes excipere, ac pro ratione meritorum, ſempiternæ felicitatis præmiis ornare. Deinde potentioribus aliis, non ſuppetit ſemper, omnibus benefaciendi voluntas & copia; nam facultates illorum non patent in immenſum, ſed, cum Chriſti copiis divitiiſque collatæ, exiguis quibuſdam finibus terminantur; itaque paucos quoſdam habent eximios, ac cognatos præſertim, quos divitiis & honoribus expleant; ſatis, & pluſquam utile fuit Rebuſpublicis, inhoneſtos homines vidimus, prætermiſſis bonis, in altiſſimo dignitatis gradu locari; ſatis, & pluſquam ſatis, noſter in propinquos & conſanguineos amor & ſtudium in offenſionem hominum incurrit; quibus, ſi fas eſſet, vellemus, Regibus ac Tetrarchis Regno everſis, regale faſtigium vindicare, vel potius, ſuperis è cælo pulſis, divinum principatum aſſerere. At Chriſti benignitas, utpote infinita, in neminem clauditur, omnibus patet, in omnes, qui velint, peræque diffunditur; ille omnes diligit, omnes habet eximios, omnes in cognatorum numero ducit, immo nulla re alia, ut iſta nobiſcum conſanguinitate & cognatione, gloriatur; nam quod aliud in Euangelio frequentius, quam filii hominis, nomen uſurpat? Poſtremo, nihil fere de aliorum in nos Principum amore poteſt eſſe exploratum ac certum; tot enim ſunt in hominum animis latebræ, tantique receſſus, ut non facile ſtatuere poſſis, qua quiſque ſit in te voluntate ſtudioque, nec poſſis agnoſcere, quid ille amet, quid ſimulet: dixit olim Philoſophus neſcio quis, bene actum fore cum genere hominum, ſi latam nobis natura i[illegible]ctore feneſtram aperuiſſet, unde oculorum acies ad cordis penetralia perveniret; at ille, mea ſententia, inepte eſt imprudenterque locutus; nunquam enim pejus conſultum fuiſſet cum rebus humanis, quam ſi aliquis ad intima cordis noſtri cubilia aditus patuiſſet; nam, quam multæ ibi inſidiæ, in nos comparatæ, conſpicerentur? quam ibi multa, ſimulata ac ficta, ſeſe in conſpectum darent? quam multa, ſimulatione amicitiæ obtecta odia, rejectis involucris, nuda atque

aperta

aperta paterent ad oculos! ſiquidem, ut Pſalmographus inquit, *pravum & inſcrutabile cor hominis:* quæ omnia, ad notitiam noſtram adducta, incredibili nos moleſtia complerent. At Chriſti in nos amor, tam eſt apertus, tamque perſpicuus, quam quæ oculis cernuntur: quamobrem, cum nihil in eo eſſet ſimulatum ac fictum, cumque ejus curæ, cogitationes, operæ, ad noſtram utilitatem omnes referrentur, paſſus eſt ſibi pectus perforari, & latam in eo feneſtram, unde cor introſpici poſſet, aperiri. Verum (quod ad cognationem attinet, quæ nobis cum illo intercedit,) ſi tantam nobis indidit natura cupiditatem, filios, fratres, ac nepotes noſtros, ornandi, locupletandi; qua Chriſtum in eos indulgentia eſſe oporteat, quos eo cognationis vinculo ſibi habet annexos, quo nullum ne excogitari quidem poſſit adſtrictius? Nam quod vinculum inveniri poteſt majus illo, quo humanã ſibi naturam una colligavit hypoſtaſi? Profecto, nullũ neq; modum neq; finem faciet eos augendi, locupletandi, ornandi, donec ſupra omnes cæli orbes, ſupra omnes Angelorum ordines, evectos, ſecum ad Dei patris dexteram ducat, in eoque, quo ipſe ſedet, ſolio collocet, atque conſtituat. Iam tibi, Tyrrhene, in curſu honorum, ad ſummam amplitudinem properanti, potentiorum hominum gratia non deeſt, quorum arbitrio Reſp. geritur, & imperia magiſtratuſque mandantur; cumque, vera ad honores via, hoc eſt, virtute nitaris, nihil in te deſideratur, quod à natura, doctrina, ſtudio, & exercitatione ſuppeditetur: verum illud nobis perſuaſum eſſe debet, immo deliberatum ac fixum in animo hærere, cujuſvis potius vel potentiſſimi hominis gratiam contemnere, abjicere, pro nihilo ducere, quam illam vel cum leviſſima Chriſti contumelia conjungere. Neque dubitemus, neque animum deſpondeamus. Chriſtus dives eſt, qui poteſt nos ab inopia ad ſummas opes divitiaſque perducere; Rex eſt, ac Rex ille, *per quem reges regnant, & legum conditores juſta decernunt*; qui poteſt nos honoribus ac dignitatibus omnibus ornare; delectationes in dextera habet, qui poteſt nos voluptatibus ſolidis ac veris explere. Ad ejus igitur amicitiam & clientelam nos aggregemus, ejus ductum ſequamur,

ejus

ejus gratiæ dediti ſimus. Nam cui Chriſtus ineſt, quamvis omnia alia deſint, continuo eſt dives, eſt Rex, deliciis omnibus affluens: contra, cui Chriſtus deeſt, etſi reliqua omnia adſint, illico eſt inops, inglorius, miſer. At poſtquam, ita magnas, atque ita late patentes, potentiæ ſuæ vires eſſe, Chriſtus oſtendit, rem totam concluſit, hoc modo: *Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti; docentes eos, ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis.* Quæ Chriſti ad Apoſtolos oratio tribus ex præceptis omnino conflatur. Primum, jubet eos proficiſci; tum gentes abluere; poſtremo docere, ut iis vitam legibus inſtituerent, quas ab ipſo acceperant. Quæ tria feciſſe legitur populus Iſrael, cum, Deo propitio, acerbiſſimum illud ſervitutis jugum à cervicibus ſuis excuſſit. nam primum, ex Ægypti finibus, quantum poteſt, exceſſit; tum, pedibus rubri maris undas evaſit; poſtremo, leges à Deo, quibus ſubjectus eſſet, accepit. Itaque, ut hæc omnia, ex propoſita materia, ad nos transferamus; primum abire jubemur, *Euntes ergo, docete*; at qui abit, locum, ubi erat, relinquit; quis autem erat locus, qui nos antea recipiebat? Ægyptus; nimirum peccatum; Ægypti igitur derelictio diſceſſionem à peccato ſignificat, quam, ut ait Auguſtinus, baptizandi profitentur. Deinde, de baptiſmo præceptum accipimus; videlicet, de mari rubro pedibus ineundo. Vtrumq; breviter complexus eſt, cohortatione ſua, Petrus Apoſtolus. nam quid aliud eſt dicere, *Pœnitentiam agite; & baptizetur unuſquiſque veſtrum, in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti*, niſi, Recedite ab Ægypto, & per mare rubrum iter habete? Ab Ægypto igitur, hoc eſt, à peccandi conſuetudine recedendum eſt, omnes peccandi illecebræ reſpuendæ, omnes honorum divitiarumque cupiditates compeſcendæ, ut, per maris rubri tranſitum, in numerum filiorum Dei veniamus; hoc enim in primis ex baptiſmo conſequimur; quem locum ac numerum amittimus, quoties in aliquod vitium pravitatemque delabimur, quæ nos à Dei ſimilitudine prorſus abripiat. Theologi plane omnes, interrogati, cur Spiritus ſanctus, cum, æque ac Filius, à divina Patris natura procedat, nomen Filii non habeat; inter alia, quæ

docte acuteque reſpondent, ideo, ajunt, Filium non appellari, ſed Spiritum ſanctum, quod non, ut intelligendo mens, ſic etiam voluntas amando, ſimilitudinem aliquam informat ejus, quod amatur, ſed abrepta, velut ſpiritu quodam vehementi, impellitur, ad potiundum ac fruendum. Summa denique huc redit, ut in Filio ſimilitudo quædam Patris & imago debeat ineſſe; at Dei ſimilitudinem nihil à nobis æque repellit, ut peccati deformitas turpitudoque. Poſtremo, cum jubet nos doctoris & magiſtri partes ſuſcipere, ac docere populos, ſervare ea, quæ ipſe mandaverat; non illud intelligit, ut unuſquiſque noſtrum inſcendat ſuggeſtum, ac de ſuperiori loco, acri ac vehementi oratione, populos ad ſtudium virtutis ac probitatis impellat; ſed, ut exemplo, quod omnium magiſtrorum præcepta ſuperat, quod omnium eloquentium diſertam orationem evincit, à noxiis eos inaniſſimarum rerum cupiditatibus avocemus ad divinarum legum amorem, atque ad omnium laudabilium ſtudiorum voluntates. In hoc unuſquiſque poteſt eſſe eloquens; immo tanto ceteris eloquentia præſtabit, quanto anteibit exemplo. At ſi tanta eſt in divinis legibus gravitas, ut humanæ eam vires ferre non poſſint, ſi tanta in eiſdem obtemperando difficultas, ut dixerit ipſemet Chriſtus, *Sine me nihil poteſtis facere*, hoc eſt, ſine mea ope auxilioque veſtri omnes ad virtutem labores atq; conatus in irritum recident; ergo quid fiet nobis, cum Chriſtum abeſſe contingat, cum jam cælo receptum, beatiſſimæ illæ mentes, & feliciſſima gaudia detineant? nonne abjiciamus animum oportet? nonne, oneris magnitudine oppreſſi, legum earundem gravitati ſuccumbemus? Nihil, inquit Chriſtus, hic vos metus exterreat, nihil hæc cogitatio perturbet, nihil veſtra ſtudia retardet; ego nunquam vos deſeram, nunquam à mea ope auxilioque deſtituam; ſed *ero vobiſcum, omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi.* Vale. Romæ, XVII Kal. Iulii CIↃIↃCXLII.

Doctiſſi-

XVII.

Doctiſſimo religioſiſſimoque domino TYRRHENO.

PRoximis ſuperioribus meis literis, magno à te opere expetebam, ut interdum, quod commodo tuo fieret, ne gravareris, carmen ad me aliquod mittere, ex iis, quę olim feciſſes. nam ea me ingentis cujuſdam beneficii ac muneris loco ducere, ajebam. At tu, quaſi divinares, quid cuperem, vel potius, quaſi mihi in animum penetrares, meaſque in eo voluntates & ſtudia omnia perſpiceres, in votis ac poſtulatis, mihi ultro occurriſti, & antequam meæ ad te literæ pervenirent, atque adeo antea quam Roma diſcederent, duo dulciſſime elegantiſſimeque ſcripta epigrammata ad me miſiſti; unum, de Albani pictoris tabula, ubi puer Ieſus ſe Patri voto obſtringit, atque Angeli, ejus cruciatuum inſtrumentis, quaſi pueriliter ludunt; alterum, de Roma, ab Arnulpho Germaniæ Rege, per occaſionem leporis fugientis, capta. Quod munus copulaſti cum epiſtola, humanitatis, elegantiæ, ſanctimoniæque pleniſſima; in qua tui mihi cordis arcana conſilia detegis, nimirum, ardens illud deſiderium, quo flagras, eccleſiæ, cui præes, adeundæ, & gregis tibi à Deo commiſſi, ea quæ paſtorem bonum decet cura, ſedulitate, ac diligentia, regendi tuendique, præterea, omiſſis ceteris ſtudiis, in lectione ſacrorum librorum, iiſque, quæ à ſanctis Patribus ſingulari doctrina, eruditione, ac pietate ſcripta ſunt, perpetuo hærendi. Quod vereor ut tibi unquam facere liceat. Nam quemadmodum tu ipſe ſcribis, cum ſummo Pontifici voluntatis tuæ regendæ moderandæque quaſdam quaſi habenas tradideris, nunquam ille tantam vim doctrinæ, eruditionis, ſapientiæque, patietur intra anguſtos unius eccleſiæ fines, tanquam aliquam aquulam, contineri, ſed ad Eccleſiam univerſam irrigandam exhilarandamque permittet effluere. Quod vero meam opellam, ad idem ſacrarum literarum ſtudium conaris abſtrahere traducereque, atq; ad hortationes preces etiam adjungis, tuum

in me amorem,& honoris, exiſtimationis ac ſalutis meæ ſtudium, agnoſco; deque eo maximas tibi gratias ago habeoque. Sed nolim me tibi, de Eudemia, Pinacotheca, aliiſque ejuſmodi nugis, penitus eſſe notum atque perſpectum. Etenim hæc per ludum jocumque compoſui; atque eo facilius ad hanc animi hilaritatem ludumque deſcendi, quod viderem, ludicras res ac leves in honore & gratia eſſe, omnium ad ſe voluntates allicere, emtorem invenire; graves vero & ſerias, tanquam triſtes, moleſtas, odioſas, atque invendibiles merces, fere ab omnibus rejici. Verum, ſcias velim, jam inde ab adoleſcentia, ſacrarum rerum notitiam, magis quam cetera ſtudia,mihi cordi fuiſſe. Argumento ſunt ea,quæ in hoc genere ſcripſi; quæ ſi omnia extarent, neque ingenioli mei fœtus, quos ſemper contemſi neque volui aſpicere, tanquam parens inhumanus, expoſuiſſem, vel mea ipſe manu diſcerpendo enecaſſem, aliquot, in bibliothecula mea,loculamenta implerent.At quædam ſævitiam meam effugerunt, amicorum miſericordia, qui ea decreverunt tollere, & adverſus vim meam ſuis cuſtodiis clauſa habere, parati etiam reddere, ſi ſit ipſis cautum à me, fore ut ea filiorum loco ac numero habeam, atque aliquam communis lucis uſuram uſurpare permittam. Hæc autem, niſi memoria me fugit, ſunt Homiliæ, in omnes fere anni Dominicos, & in plures alios Chriſti, & Sanctorum, dies feſtos; in quibus data eſt à nobis opera, ut ſermo eſſet purus ac Latinus, eæq; ſententiæ continerentur, quæ magis animum moverent, quam delectarent. deinde, volumen Exemplorum recentium, quæ partim meis ipſe oculis vidi, partim à viris graviſſimis, qui ipſi vidiſſent, ac rebus omnibus interfuiſſent, accepi; quod opus, ſi exeat in publicum,ad deterrendos à peccatis homines, plurimum poſſe valere exiſtimo. tum brevis ac dilucida Canonis Miſſæ interpretatio; quæ etſi nihil fere contineat, quod non ab aliis ſit dictum,ordo tamen, & ſermonis perſpicuitas atque concinnitas, poteſt hominum ſibi favorem ac ſtudium conciliare.huic adjunctum eſt opuſculum,de officio ac dignitate Sacerdotis, ac brevis, totius Miſſæ ſacrificii, explicatio. Scripſimus etiam, D. Auguſtinum imitati, confeſſiones noſtras, ac de pœ-
nitentia

nitentia in ſupremum diem non differenda. Aliquot etiam ſanctorum virorum vitas ſcriptis mandavimus, ut B. Staniſlai Koſtka, & Iuvenalis Ancinæ, Saluciarum Epiſcopi, ex Congregatione Oratorii Romani. At nunquam operæ precium exiſtimavi, quæcunq; ab aliis, quovis ſermone, ſive eleganti ſive rudi, quavis lingua, ſive vernacula ſive externa, confecta eſſent, attingere; quod me operam luſurum ſum arbitratus, ſi meum eas ad res laborem ac ſtudium adjunxiſſem, in quibus alii elaboraſſent. Poſtremo, id quod pene fueram oblitus, eſt dialogorum liber, qui Dialogos duodecim continet, de rebus ſacris, atq; ad mores emendandos & componendos utilibus. Hæc eo ſcripſi, ut intelligeres, me nunquam alienum ab iis ſtudiis animum habuiſſe, ad quæ meam cogitationem atq; operam advocas, verum, multum eidem laboris ac temporis tribuiſſe. Sed, his omiſſis, venio ad literas tuas, in quibus admiratus ſum præter modum, pacem illam animi, & tranquillitatem, qua in acerbiſſimis iſtis doloribus, quibus frequenter premeris, te ſuſtentas. Quæ pax præcipuus eſt Spiritus ſancti fructus. At commodum, tuæ mihi literæ redditæ ſunt diebus Spiritui Paraclito ſacris; quo tempore, in ſacrificiis, atque in horariis precibus frequenter fieri mentionem audivi de pace, illis Salvatoris noſtri verbis, *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis; ſed non, quomodo mundus dat, ego do vobis.* Et recte. Nam quæ pax nobis à mundo contingit, pacis tantum nomen extrinſecus retinet, ſed intus in corde ſeditiones ac tumultus maximos habet incluſos; qui nullam nos partem quietis & ocii patiuntur accipere. Verum, pax Chriſti, tanti tamque inæſtimabilis precii eſt, ut in ſuprema cœna diſcipulis eam ſuis, hoc eſt; iis omnibus qui dicto ſibi audientes ſunt, quaſi teſtamento reliquerit, & poſtea, revocatus ad vitam immortalem atque beatam, nihil habuerit prius, quod illis precaretur, quam pacem. Nam *ſtetit*, inquit Lucas, *in medio diſcipulorum ſuorum, & dixit eis, Pax vobis.* Quem locum, quoniam ſermonem hunc, de Chriſti pace qua frueris, cujuſque ego ſum avidiſſimus, laceſſivi, paulo fuſius explicare non dubitabo; fretus fiducia literarum tuarum, quibus ſignificaſti, eas tibi epiſtolas fore non ingratas,

quæ de rebus divinis loquerentur. Ait igitur Lucas, Chriſtum, ab inferis excitatum, in medio diſcipulorum ſuorum cœtu conſtitiſſe, iiſque, ex indigniſſima ipſius morte perturbatis atque perterritis, pacem attuliſſe. At iſtuc idem, quod tum re ipſa geſtum fuiſſe narratur, ſpiritualiter nobis accidere, teſtes ſunt ii, qui in acerrima atque attentiſſima Chriſti crucis ac mortis meditatione verſantur. Nam tum præſertim ſe intus ſentiunt Chriſti præſentia mirabiliter refici, ejuſque pacis ſuavitate perfundi, cum antea, revocatis ſibi ad memoriam acerbiſſimis ejuſdem cruciatibus ac morte, dolori mœroriq; ſeſe tradiderint. Habet etiam anima hominis ſpacium; in cujus medio conſiſtat, conquieſcat, ſeque hilaritatibus oneret Chriſtus; qui delicias ſuas memorat, eſſe cum filiis hominum. Etenim, niſi in latitudinem pateret, non diceret Spiritus Sanctus de eo, cui fixum ac deliberatum eſt, millies antea per ſummos cruciatus vitam amittere, quam ne minimum quidem à religione officii diſcedere, *Deus in medio ejus non commovebitur*. Medium enim extremas quaſdam oras habeat neceſſe eſt, à quibus æquo ſit intervallo disjunctum. Cum autem dicat Lucas, Chriſtum ſtetiſſe in medio diſcipulorum ſuorum, oſtendit, eos non diſperſos, non diſſipatos, non disjunctos, ſed concordes, ſed coactos, ſed unum in locum congregatos fuiſſe. Itaque, ſi cupimus, ad nos Chriſtum venire, in medio cordis noſtri veſtigia defigere, ſermones nobiſcum miſcere, optatiſſimum pacis nuncium nobis afferre, neceſſarium eſt, cogitationes noſtras, quas ſemper in Chriſto defixas eſſe oportet, non palantes, non vagas, non in varia ſtudia diſtractas, hac illac excurrere, ſed intra cordis noſtri clauſtra cohibitas, atque conſtructas includi. At ſi eas fortaſſe contingat errare, atque à nobis abeſſe, quiſnam eas revocet? quis reducat in viam? quis intra cordis ſepta compellat? Idem ille, qui Chriſti diſcipulos, undique ex fuga retractos, uno in cœnaculo concluſos habuit; nimirum metus; qui adeo eorum animos occupaverat, ut non ſatis illi habuerint, cœnaculi unius parietibus ſeſe committere, verum etiam peſſulum oſtio obdiderint. Nam Ioannes ait, *Cum fores eſſent clauſæ, ubi erant diſcipuli congregati propter metum*

Iudæorum, veniſſe Ieſum, ſtetiſſe in medio eorum, ac dixiſſe eis, Pax vobis. At undenam hic metus, qui cogitationes noſtras diſperſas cogat, ac ſe ſequi compellat, arceſſebatur? Non aliunde, quam ex Chriſti paſſionis mortiſque memoria. Etenim, cum omnis Chriſti vitæ pars, frugifera ac fructuoſa ſit, tum nulla in ea feracior eſt, neque uberior, quam extremus actus, qui illius cruce ſupplicioque concluditur. Inde enim innumerabiles utilitates fructuſque ducuntur. Verum, ex uberrimis ejus fontibus, utilis in primis, divinæ ſeveritatis quidam metus, ac terror, emanat. Nam ſi ita graviter, ita ſæviter, ita atrociter, Deus ultus eſt peccatum in Filio, in quo ne tenue quidem leviſſimi cujuſpiam errati veſtigium apparebat, non aliam ob cauſam, niſi quia ad tranſlationem criminis, nomen ſuum accommodaverat, ac turpē peccati perſonam induerat; qua ſeveritate, quibus judiciis, quam acribus, quam pertimeſcendis, noſtra in nobis peccata perſequetur, pœnis ſuppliciiſque conſtringet! quibus exemplis, ſe eſſe illis infenſum, oſtendet! Nonne, qui ſe attente in hac meditatione defixerit, magno terrore metuque corripietur? nonne cogitationes ſuas, antea in omnes inanium atque inutilium rerum libidines, ut ſunt honores, voluptates, divitiæ, tanquam in varias ac longinquas regiones, immiſſas, revocabit, ac ſecum eſſe compellet? Quod ubi erit factum, continuo Chriſtus, in earum cogitationum conventu medius exiſtens, hanc ad nos orationem habebit, *Pax vobis; ego ſum; nolite timere.* At, per Deum immortalem, quodnam poteſt peccatori homini nuncium Chriſtus afferre, cujus ille ſe magis participem fieri cupiat, quam certiorem eum facere, ſe reducem eſſe factum in Dei amicitiam & gratiam? Quid mirum eſt igitur, ſi gaviſi ſint diſcipuli, viſo Domino? Itaque, quemadmodum illorum animi, ex mœrore atque triſtitia, traducti ſunt ad hilaritatem lætitiamque, ita etiam nos, ex tam admirabili nuncio, mirabiliter excitari ad lætitiam ſentiemus. At, cum acceperimus, Deum injurias, ſibi à nobis factas, oblivione ſempiterna deleſſe, atque inſuper, ſuam nobis amicitiam & gratiam detuliſſe; quid viciſſim à nobis præſtandum eſt Deo? Illud nimirum, niſi ingratiſſimi, vel potius, niſi,

in humana figura, tetræ immaneſque belluæ ſimus, ut omnes eidem ad noſtram amicitiam aditus apertos, atque adeo patefactos eſſe, patiamur; ut eundem intra penitiſſima cordis noſtri penetralia receptum, ita caritatis vinculis conſtrictum teneamus, ut ea nunquam vincula ſolvere, nunquam fugam meditari jure conetur. Sed, quanam ratione hæc pax nobis cum Deo continget? Eadem, qua à Chriſto conciliata eſt, quam nobis, re magis quam verbis, exemplo efficacius quam voce, ſignificavit, vel potius ante oculos poſuit, cum Apoſtolis manus ac pedes oſtendit. Manibus, manibus inquam, & pedibus nos in amicitiam cum Deo reduxit. Nam, manibus opera, pedibus animi affectiones deſignari, nemo eſt, paulo in ſacris literis exercitatus, qui neſciat. Utraque autem re, operibus videlicet, atque omni ardore animi impetuque adhibito, tantum nobis bonum peperit. Nam, ad opera quod attinet, qua aſſiduitate, qua diligentia, qua ſolicitudine, negocium redemptionis noſtræ, à Deo ſibi commiſſum & traditum, inchoaverit, proſecutus ſit, ad abſolutionem perfectionemque perduxerit, illa ejus ad Patrem oratio demonſtrat, *Opus conſummavi, quod dediſti mihi, ut facerem.* Quod vero ſtudium, quem ardorem animi, ad illud attulerit, tum multa, tum ea in primis verba, ardentiſſimo amoris igne ſuccenſa, declarant, quibus olim diſcipulos ſuos affatum eſſe legimus, *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor, donec perficiatur?* Iiſdem plane artibus, Dei amicitiam & gratiam nobis comparemus oportet. Tunc enim, compoſitas inter nos ipſumque diſcordias, ac pacem conciliatam eſſe, exiſtimare poterimus, cum animum induxerimus, ejus mandatis obtemperare, eiſdemque, quibus ille ſtudiis exardeſcit, incenſum & inflammatum animum gerere. Etenim ſicut nullum eſt majus conciliatæ inter aliquos gratiæ argumentum, quam ſimilitudo ſtudiorum; ita etiam, nullum eſt diſſidii certius indicium, quam contrariæ hominum ſententiæ, ac diſſimilitudines ſtudiorum & voluntatum. *Pacem,* inquit Apoſtolus, pro recuperata ejus amicitia & gratia, *habeamus ad Deum.* At quænam, Leo Pont. max. ait, poteſt eſſe pax illi ad Deum, cui ea placent quæ Deo diſplicent, & diſplicent

ea quæ

ea quæ Deo placent? Hæc igitur contraria ſtudia atque ſententiæ, ut cum maxime, inter ipſum & Deum diſcordias eſſe, convincunt; contra, voluntatum animorumque concordia, eoſdem pace amicitiaq; invicem conglutinari demonſtrat. Quod erit magis teſtatum, ſi Chriſto, prandium à nobis poſcenti, duo illa obſonia antepoſuerimus, quæ ab Apoſtolis eidem, reliquiarum aliquid quo veſceretur poſcenti, exhibita fuiſſe traduntur. *Habetis hic*, ait ille, *aliquid, quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piſcis aſſi, & favum mellis.* Piſces, ex Gregorii Magni interpretatione, ſunt curioſæ hominum cogitationes, quæ per fluxas hujus vitæ vias curſitant, & tanquam in altum impulſæ, ibidem, quaſi in concitato mari, vehementibus actæ tempeſtatibus, fluitant. At, quemadmodum piſces, quo ſint ad cibos hominum apti, primum è mari extrahuntur, tum igni torrentur; ita etiam cogitationes noſtræ, quo, tanquam obſonium aliquod, in Chriſti pectus abeant, & cum ejuſdem voluntate copulatæ, vel potius unum atque idem cum illa effectæ, perpetua nos in pace cum Deo conſtituant; antea ſunt ex negocioſæ perturbatæq; vitiis ac cupiditatibus vitę quaſi fluctibus extrahendæ eripiendæque, deinde ardentibus divini amoris prunis tradendæ, ac demum Chriſto in prandium anteponendæ. Deinde appoſuerunt ei *favum mellis.* Sed cur non ipſum mel potius? nam excerptum aptius in epulas Chriſti veniſſet. Nihil eſt, quod tam facile expedire poſſimus. Nam huic dubitationi ita occurrit Auguſtinus; qui tum in melle, tum in mellis favo, nos omnes, qui pacem cum illo habere cupimus, eleganter deſignari demonſtrat, qui tum mellis, à favo ſejuncti, ſimiles erimus, cum, hujus corporis cuſtodia liberati, Deo convivæ, quaſi dulciſſimæ quædam epulæ, dabimur; at interea dum, mortalibus membris circumplicati, in hac vita detinemur, favi cujuſdam imaginem ac ſimilitudinem gerimus, atque Chriſto, cibum de nobis poſcenti, mel ſimul & favum, hoc eſt, animam & corpus, offerimus. Qua in re nonne illud, optime Tyrrhene, docemur, quod tu egregie præſtas, ut, quemadmodum mel, dum favo concluditur, neque ceræ permiſcetur, neque cum illa confunditur, ſed apud eam, ve-

 lut hoſpi-

lut hoſpitio divertit, ita etiam, dum carne circumtecti ſumus, nullum ejus ad nos cupiditatibus aditum præbeamus, nihil earum in nos influere permittamus? Interea, quoniam fieri aliter non poteſt, corporis hoſpitium tantum, non autem conſuetudinem, uſurpemus; imitemurque in primis hirundines, quæ ita in urbibus, ita in domibus verſantur, ita nidos in eis conſtruunt, ut neque aſſueſcant ad homines, neque manſuefiant. Quod autem una tantum piſcis parte contentus fuerit, neque, integrum ſibi illum apponi popoſcerit, illud poteſt cauſæ afferri, quod, cum piſces animi noſtri ſolicitudines curaſque deſignent, non fert moleſte Deus, partem earum aliquam à nobis in neceſſarios vitæ uſus derivari; reliquum vero in ipſo conſumi requirit; ita tamen, ut ea etiam pars, quæ ad vitæ neceſſitates reſervatur, ſit divini amoris igne ſuccenſa; videlicet, ut B. Gregorius explicat, noſtram ad ſe fiduciam non attrahat, ſed tota in Deo collocetur atque hæreat; qui favum mellis, corpus nimirum atq; animum hominis, totum ducit ſuum, nihil ex eo mundum, nihil ſibi Dæmonem, nihil carnem, decerpere patitur. Nam totus ad Chriſtum homo, hæreditatis jure ac nomine, pertinet. Hæc eſt illa hæreditas, quam ſuo ſibi ſanguine peperit, quam habet ſe ipſo cariorem, quam dulciorem ſuper mel & favum appellat. Origenes, locum illum Proverbiorum exponens, *Vade ad apem*, (quod legitur in quibuſdam Græcis exemplaribus, ac citatur etiam à Clemente Alexandrino, Hieronymo, aliiſque,) aperit aliquid, quod mire locum hunc, quem tractamus, illuſtret. Quærit enim, cur ſit eundum ad apem, & non ad apes? Quia, inquit, Chriſtus, qui potiſſimum apis nomine ſignificatur, eſt princeps apum; & merito inter apes, nimirum inter eos, qui circum virtutes, quaſi floſculos, exeunt, ad opera atque labores, principatus atque admiratio Chriſto tribuitur: nam omnibus quidem vitæ ſuæ diebus, ſed præſertim paſſionis ac mortis tempore, ex virtutibus omnibus, tanquam ex floribus, mella contraxit, ſuccoſque dulciſſimos, ex iiſque favum præſtantiſſimum, novum videlicet hominem, confinxit, qui totus eſt ſuus; neque alius, juris in eo quidquam habet: quod ſi quiſpiam aliquid ſibi ex eo decer-

decerpſerit, hic tanquam ex jure, manuconſertus, appellandus erit, quod in alienas poſſeſſiones tam temere irruerit. Habes epiſtolam bene longam, ab homine, ocio diffluente, ad hominem innumeris implicatum occupationibus. Sed non debet eſſe nobis moleſtum, interdum ab ejuſmodi interventoribus, cujuſmodi ſunt meæ literæ, occupationibus noſtris moram & impedimentum afferri, cum mors inſtet, negocium omnium maximum, neque ſenibus modo, & infirmiſſimis, ſed juvenibus etiam ac robuſtiſſimis. Ac nudius tertius Cardinali Burgheſio, populari ac ut arbitror affini tuo, exequiarum munus perſolutum eſt, qui in ipſo pene ætatis flore ſublatus, utinam in ea cum Chriſto pace deceſſerit, de qua ſumus locuti. Sed tempus me admonet, ut ſcribendi finem faciam, atque me conferam, ubi præeuntibus Epiſcopis, Cardinalibus, atque aulicis pene omnibus, cum accenſis cereis, atque agmen claudente Cardinali Lantes, ſacroſancta Chriſti corporis myſteria geſtante, (nam Pontifex, utpote infirma valetudine, non audet ſe matutino ac frigido cælo committere,) *It per velatas annua pompa vias.* Vale. Romæ, XIII Kal. Iulii CIↃIↃCXLII.

XVIII.

TYRRHENO,

omnibus excellentis viri ornamentis illuſtri.

PRoximis tuis litteris mihi ſignificaſti, me tibi gratum eſſe facturum, ſi mitterem, brevem Canonis Miſſæ interpretationem, à me olim ex D. Thoma aliiſque doctiſſimis viris collectam, una cum opuſculo de officio ac dignitate Sacerdotis, deinde Io. Iuvenalis Ancinæ Saluciarum Epiſcopi vitam; quod diceres, magno hæc tibi eſſe uſui poſſe ad pietatis ſtudium augendum, & ad munus, quod ſuſtines, rite adminiſtrandum. Tibi dicto ſum audiens; atque, ex præſcripto tuarum literarum, mitto jam quidem duo prima ad te, tibique do, dono, dico; mox deinde miſſurus quoque tertium. Cui enim mea magis tradenda exiſtimem, quam tibi, qui illud in

primis ſcribendi genus probare videris, quod ſequimur; ac puram, dilucidam, & ſine offenſione euntem orationem, obſcuræ, contortæ, atque ineptiis claudicanti, anteponere; in qua hodie adoleſcentes & imperiti admirantur, obſtupeſcunt, clamores extollunt, perſpicuitatem vero ſermonis, in qua tantum veteres ponebant, & pro qua adipiſcenda tantopere elaborarunt, tanquam pueriles nugas, nugatores ipſi omnium maximi, irrident atque contemnunt. Atque utinam, ad hanc tuam erga mea ſcripta humanitatem, cenſoria etiam auctoritas tua accederet, quæ ſevere in eorum vitia animadverteret, eaq; à virtutibus, ſi quæ inſunt, tanquam à ſenatu, amoveret atque repelleret. profecto, nihil eſſet, in quo tuam in me benevolentiam mihi magis teſtatam eſſe optarem. Itaque, non modo non ægre fero atque moleſte, meam à docto illo viro, de quo ſcribis, opellam expoliri ac corrigi, verum etiam maximo beneficio me ab eo eſſe affectum, exiſtimo. Quid enim liberis ſuis mater à Deo majus poteſt optare, quam ut à vitiis vacui, & à virtutibus inſtructi, in publicum prodeant? Quamobrem deleat, mutet, detrahat, addat, faciat quod lubet: non enim ſe mihi, quaſi adverſarius, opponet, ſed, tanquam Deus, in votis & optatis occurret. Cui ſi digperis, meis verbis, gratias agere, erit mihi gratum in primis; ac longe gratius, ſi à triſtibus cogitationibus animum abduxeris, & ad hilaritatem traduxeris. Non enim, ab aſſidua & attenta mortis meditatione, hic à nobis fructus exigitur, ut in aliquam animi perturbationem ægritudinemque labamur; ſed ut potius lætemur, fore aliquando finem hujus exiguæ & ærumnoſæ, & initium æternæ, & cumulatæ bonis omnibus, vitæ: illudque præſertim ex ea requiritur, ut omnes nobis res humanas, utpote fluxas & caducas, in odium & contemtum adducamus; quarum vanitatis quænam major vel fortior potuit eſſe diſciplina, quam ultimus Reginæ Galliarum caſus, quæ iſtic diem clauſit extremum, cuique, jam deſperatæ atque depoſitæ, totum continuum triduum, interfuiſti? quam, primum florentiſſimam, ac redimitam auro gemmiſque, pulcherrimæ nobiliſſimæque Europæ parti longe lateque imperitantem, tum adverſæ fortunæ fluctibus

bus actam, ac ſubinde ſedes mutantem, demum in externo ſolo, communi omnium hominum lege, ſocietatem carnis dimittentem, agnovimus. Verum te, communis condicionis memoria, & infirmiſſimæ valetudinis tuæ incommodo, non gravius commoveri, quam fortem virum & Chriſtianum deceat, argumento eſt ſtudium & diligentia, qua vetuſtiſſimæ nobiliſſimæque familiæ tuæ monumenta interpretaris, ac poſteritati committis. Et ſane ego quoque, una cum aliis, in illo, veſtro egregio inſigni P o r V n, tanquam in re obſcura, hærebam; & adhuc hærerem, niſi interpretationis tuæ lumen acceſſiſſet, quod omnes mihi, ab animo, ignorationis tenebras depelleret. Intrabam ſæpe, ob loci vicinitatem, ubi habito, ædes illas ampliſſimas, quæ, quamquam dominum mutaverint, ab Auguſtino, earum auctore, veterem adhuc appellationem retinent, &, quoad hujus Vrbis nomen extabit, quod quidem erit, Deo approbante, ſempiternum, veſtræ familiæ ædes nuncupabuntur: cum eas, inquam, ædes intrarem, ut tabulis pulcherrime pictis, Raphaelis Sancii Vrbinatis, Iulii Romani, Balthaſaris Senenſis, aliorumque ſummorum artificum manu elaboratis, oculos paſcerem, atque animum exſaturarem, cumque in illud inſigne incurrerem, quod nemo eſſet, qui ejus mihi notitiam aperiret, tanquam ignotum hominem præteribam. Nunc autem capio voluptatem, mihi ex obſcuro perſpicuum eſſe factum; multiſque præſtantibus viris, qui in eadem ignorationis caligine verſabantur, tuæ interpretationis lumine inſtructus, ad eam depellendam, atque ad intima ejuſdem inſignis intelligentiæ cubilia penetrandum, tanquam facem prætuli; idque deinceps faciam, cum in aliquem ejus rei rudem incidero. Hæc interim à me opuſcula, ad ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium ſpectantia, ut poſtulaveras, accipe. Neque ea, molis exiguitate tenuitateque, contemnas. Nam ſummam earum rerum amplectuntur, quæ ab aliis fuſe, & fortaſſe etiam ſuboſcure, tractantur. In quo memoriæ hominum conſultum eſt maxime; quod nihil ad retinenda ea, quæ tibi nunquam velis excidere, ita memoriam adjuvat, ut brevitas. Vale. Romæ, x i i Kal. Sept. c i ɔ i ɔ c x l i i.

B r e-

Brevis Svmma et Compendivm eorum, quæ in Sacrificio Miſſæ conficiuntur.

QVo majores uberioreſque, ex ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, utilitates & fructus percipiamus, & ad augendam in nobis erga tanta tamque divina myſteria pietatem ac religionem, multum ſane refert, ſingula, quæ in eo fiant, agnoſcere, & diligenter mandare memoriæ.

Atqui omnia, quæ in eo Sacrificio peraguntur, ad quatuor præſertim capita revocantur.

Nam quædam, ad præparandos tantæ rei animos ſpectant;

Quædam, ad nos erudiendos pertinent;

Quædam, circa conſecrationem verſantur;

Reliqua, in Sacramenti perceptione conſiſtunt.

Cap. I. *Quæ ad præparandos animos adhibeantur.*

AC primum tantæ rei animus præparatur Introitu; qui Dei laudes in primis continet. Decet enim, à divinis laudibus Sacrificium illud inchoare, quod, proprio etiam nomine, ſacrificium laudis appellatur.

Tum, ad illud magis magiſque diſponimur, memoria & commemoratione earum calamitatum, quibus in hac vita conficimur: à quibus nos eripi ac liberari, ſupplicibus ac demiſſis illis precibus; novies repetitis, expoſcimus, *Kyrie eleiſon.* Quibus verbis, tum Patris, tum Filii, tum Spiritus ſancti perſonam, exoramus; ſingulis perſonis ternas ejuſmodi preces adhibendo, ut in unaquaque earum, alias etiam duas, ejuſdem unitate naturæ, ineſſe ſignificemus.

Poſtremo ad iſtuc idem ſacrificium idonei magis efficimur, deſiderio felicitatis æternæ, quam demum vitæ hujus moleſtiis ærumniſque perfuncti, ſperamus. Quod deſiderium excitare conamur in nobis, cantico illo Angelico atque cœleſti, *Gloria in excelſis Deo.*

Cap. II. *Quæ, in hoc Sacrificio, erudiendi docendique vim habeant.*

PRimum, erudiunt nos Prophetarum & Apoſtolorum libri. Qui quoniam rudem & adumbratam rerum divinarum notitiam continent, ideo à miniſtris inferiorum ordinum, nempe à Lectoribus & Subdiaconis, recitantur. Quibus ſubjicitur Graduale, cum cantico Halleluja, vel Tractu. Quorum alterum ſignificat, ut ſpirituali gaudio repleti, alterum, ut intimo ſcelerum noſtrorum dolore affecti, ad abſolutionem perfectionemque virtutum omnium contendamus.

Deinde, magnam ad docendum vim habet Euangelium. Quod ideo Diaconi, ſuperioris ordinis miniſtri, voce recitatur, quia perfectam abſolutamque fidei noſtræ doctrinam habet, ab ipſomet Chriſto explicatam & traditam.

Tertio loco, docendi gratia, ſubjicitur Symbolum Apoſtolorum; quod breviter & dilucide, & tanquam per capita, totius fidei Chriſtianæ ſummam amplectitur.

Cap. III. *De ea parte hujus Sacrificii, quæ Conſecrationem continet.*

CVm, duabus de cauſis, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum ſit; altera, quo Eccleſia perpetuum Sacrificium haberet, quo peccata noſtra expiarentur; altera, ut cæleſte pabulum, ad ſpiritualem vitam conſervandam neceſſarium, nunquam nobis deeſſet: ideo illud primum à populo, ſumma cum alacritate animi, divinæ majeſtati offertur, & Chriſti, tum divinitas illis vocibus, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, tum humanitas illis aliis, *Benedictus, qui venit*, celebratur.

Poſtea, Sacerdos, revocatis ſibi in memoriam iis, pro quibus illud Sacrificium offert, atque implorato divino præſidio, ut, eo adjutus, Sacramenti fructus conſequi poſſit, conſecrationem perficit, verbis à Chriſto domino relictis ac traditis,

Poſtremo,

Poſtremo, excuſat ſe, quod, humilis & indignus, ad tantam rem perficiendam acceſſerit: nunquam enim ſe tale aliquid auſurum affirmans, niſi Chriſti præceptum urgeret; qui mandavit hæc fieri in ſuam commemorationem: ac petit à Deo, ut ejus Sacramenti fructus hac vita functis ſibique uberrimi copioſiſſimique contingant.

Cap. IV. *De perceptione Corporis & Sanguinis Domini.*

PRimum, Sacerdos præparat ſe, ac populum ibi præſentem, ad percipiendum hoc Sacramentum; tum certis quibuſdam precationibus, & in primis oratione Dominica, tum deteſtatione cujuſvis ſimultatis atque odii; cum iſtud Sacramentum ſymbolum ſit Eccleſiaſticæ unitatis & conjunctionis.

Deinde, Corporis & Sanguinis Domini myſteria ſuſcipiuntur.

Denique, totum Sacrificium in agendis Deo gratiis, pro ejus in nos beneficiis, concluditur; ac præſertim pro ea gratia, quæ nobis in Sacramento communicatur.

Oratio.

CLementiſſime Ieſu; qui ſacroſancta Corporis & Sanguinis tui myſteria in memoriam paſſionis tuæ, & in remiſſionem peccatorum inſtituiſti; præparo me ad ea recolenda atque ſumenda, commemoratione laudum tuarum, imploratione divinæ miſericordiæ, deſiderio felicitatis æternæ, eaque firmiter conſtanterque credendo, quæ à Sanctis Prophetis & Apoſtolis ſcripta ſunt, & in primis quæ in Euangelio & in Symbolo continentur. tum, ita præparatus & inſtructus, offero Deo Patri æterno, te Filium ſuum unigenitum, verum Deum & hominem, in hoc Sacramento latentem, primum pro ſalute animæ meæ, & N. N. N. atque omnium propinquorum & benefactorum meorum; deinde pro animabus N. N. N. atque omnium fidelium defunctorum, ut, à peccatis expiati; de tenebris in lucem ſanctam, ac de pœnis purgatorii ignis ad æterna gaudia, transferantur.

per

per hujus igitur virtutem Sacramenti, me tibi totum inſere, & una cum Sanctis & electis tuis tecum unum corpus atque unum animum effice: denique fac me tibi, pro acceptis beneficiis, debitas in perpetuum laudes grateſque perſolvere. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

De Nobilitate Atqve Excellentia Sacerdotis.

Cum Sacerdos, ſacris veſtibus indutus, rei ſacræ faciendæ gratia, ad aram accedit, legati perſonam ſuſtinet, miſſi à populo ad Deum, ut noſtram cauſam cum eo potiſſimum agat: ſicuti concionator eſt quidam quaſi Dei interpres ac nuncius, qui, ejus nomine, divinam legem, ac vitæ præcepta, homines edocet.

In hac igitur legatione Miſſæ, quatuor occurrunt in primis, quæ diligenter & attente conſiderentur.

Primum, quam perſonam Sacerdos adeat, ut cum ea loquatur;

Tum, quo genere ſermonis apud eandem utatur;

Deinde, quid petat, vel deprecetur;

Poſtremo, quid agat, quidve perficiat.

Cap. I. *Quicum Sacerdos in Miſſa loquatur.*

Sacerdos Deum alloquitur, & pro nobis deprecatur. Magna profecto res eſt, cum Deo ſermones conferre; quod in ſingulis colloquiis ſpiritualibus, nobis fere contingit. Verum, id Sacerdos, in ſacrificio Miſſæ, ſingulari atq; mirabili quadam ratione præſtat ac perficit. Nam Deum præſentem, ſibique operam dantem, appellat: neque id ad breve neſcio quod tempus, ut fit in horis canonicis, quas brevi, converſa ad Deum, oratione concludimus; neque ut accidit in meditationibus, quarum exiguam partem colloquium occupat; ſed quam longiſſime & quam diutiſſime eundem affatur. Etenim divinum iſtud Sacrificium, perpetuus eſt quidam ſermo cum Deo, ad eum nobis placandum, atque ad intimos mentis noſtræ receſſus eidem aperiendos adhibitus. Id

quod indicant omnes orationes ſecretæ, omnes collectæ, ipſa denique oratio Dominica. Quid multa? Præter Euangelium & Epiſtolam, totum illud unius ſemihoræ curriculum in maximis atque graviſſimis cum Deo colloquiis ſermonibuſque conteritur: neque ſiletur, niſi ad breviſſimum tempus; nempe tantiſper, dum ipſi, nos in memoriam vivorum ac mortuorum inducimus. O rem maximam ac præſtantiſſimam, tam multis verbis, tamdiu, tanta cum majeſtate, hominem loqui!

Cap. II. *Quæ ratio ſermonis in Miſſa adhibeatur.*

Ratio ſermonis, quæ ad Deum precandum affertur, eſt plane ſingularis & eximia; idque multis de cauſis.

Primum, quia Sacerdos Deo familiariter, ſecreto, & tanquam in aurem loquitur. Ideoque, magna ex parte, ſubmiſſa utitur voce, ut eſt mos inter amicos. Quemadmodum Moyſes feciſſe legitur, cui loquebatur Dominus facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo amicus ad amicum ſuum.

Deinde, quia non ſua, ſed Eccleſiæ univerſæ poſtulata, cujus ille perſonam refert, exponit; ejuſque voces perinde à Deo accipiuntur, ac ſi à populo univerſo mitterentur. Neque, quod hanc ad rem attinet, multum ſane refert, qualis ſit Sacerdos, utrum bonus an malus. Vnde ejus orationis vis & efficacia perſpicitur, ſimulque colligitur, quam eadem attente ac benigne à Deo exaudiatur.

Tum, quia nihil Sacerdos ſuo marte loquitur, ſed conceptis utitur verbis, ab Eccleſia & Spiritu ſancto ſibi relictis & traditis. Etenim, quæcunque ab eo narrantur, vel ſunt à ſacris Conciliis excogitata diligenterque examinata; vel à Chriſto compoſita, ut oratio Dominica; vel à ſacris litteris excerpta, cujuſmodi ſunt Euangelia, Epiſtolæ, Pſalmorumque verſus; vel ab Eccleſiaſticis canonibus juſſa atque decreta. Quamobrem non eſt verendum, ne ea minus grata & jucunda Dei auribus accidant, vel, tanquam à divina ipſius majeſtate aliena, rejiciantur,

ciantur, vel propter ineptam petendi rationem, minus nobis, quam volumus, impetrent. Id quod, in privatis poſtulationibus ac precibus, non parum ſæpe contingit. Nam ideo D. Iacobus inquit, *Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis.*

Deinde, quia nobilis hic populi Chriſtiani legatus, miſſus de rebus magnis ad Deum, non privatim, ac remotis arbitris, ſed publice, ac coram univerſis cœli militibus, verba facit. Id quod ſtatim in ipſis Miſſæ initiis oſtendit; nimirum cum peccata ſua, tum Deo, tum B. V. Sanctis, atque Angelis omnibus, confitetur; quos etiam, una cum iis, qui præſentes adſunt, ſibi patronos ac precatores apud Deum adoptat. Qua re eam Eccleſiæ unitatem conjunctionemque demonſtrat, quæ ex beatis & ex nobis efficitur. Atque multo id clarius oſtendit in Præfatione, ubi ſuas cum Angelorum laudibus voces jungi copularique poſtulat, illis verbis, *Et ideo cum Angelis & Archangelis*; & rurſus, cum dicit, *Cum quibus & noſtras voces ut admitti jubeas, deprecamur*; neque in his duntaxat duobus Miſſæ locis, ſed deinceps in aliis pluribus, hanc cum Angelis atque Sanctis ſocietatem & communioem ſupplicibus verbis efflagitat.

Poſtremo, quia Sacerdos verba facit Deo præſenti, ſeque audienti, non ſolum è cælo, ſed ex longe propinquiori loco, nempe ex altari, atque adeo ex hoſtia, ſub qua deliteſcit. Quamobrem omnis fere eſt illi ſermo cum Deo.

CAP. III. *Qua de re Sacerdos cum Deo ſermonem inſtituat.*

MVlta ſunt, de quibus cum Deo agere, ad Sacerdotis officium diligentiamque pertineat. Nam ille de collatis in nos beneficiis Deo gratias agit, laudes eidem tribuit, cultum & honorem impertit, animorum vulnera detegit, medicinam expoſcit, peccatorum veniam deprecatur, nullum denique officii genus, divinæ à nobis majeſtati debitum, prætermittit.

Deinde, vivorum mortuorumque omnium, qui ſunt ubique locorum ac gentium, poſtulata preceſque ad

Deum exponit. Vnde ſupplicibus prope libellis onuſtus, ad Dei colloquium accedit. Quocirca, nullus eſt pupillus, nulla vidua, nemo æger, inops, afflictus, nemo qui, ingreſſus mare, navi vehatur, nemo qui, conjectus in vincula, ſqualore luctuque afficiatur, nemo mortuus, qui, in purgatorio igne, peccatorum maculas eluat, denique nemo, ſive vir ſive mulier, cujuſvis ſit ætatis & ordinis, in Eccleſia, neceſſitate aliqua premitur, qui ſupplicem ſuum libellum in manibus Sacerdotis, ad aram ſacrificantis, non habeat. Neque hoc mirum videri debeat; cum ipſe calamitoſorum ſeſe omnium patronum ac ducem profiteatur, ac præbeat.

Cap. IV. *Quid in Sacrificio Miſſæ potiſſimum agatur.*

NEq; ſolum Miſſæ Sacrificium intra verba concluditur, ſed res in eo longe omnium maximæ ſanctiſſimæque præſtantur. Nam hic nobilis Eccleſiæ legatus, nempe Sacerdos, unicum Dei filium, Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, agnum immaculatum, una cum omnibus ejus meritis, opibus, atque virtutibus, Deo hoſtiam offert; illum, inquam, eundem agnum, qui ſe ipſum, in ara crucis ſemel tantummodo cruentum, immolavit. Quo tum munere ſi ita delectatus eſt Deus, cum omnibus vexabatur injuriis atque doloribus, eo quod eſſet filius ſuus dilectus, in quo ſibi bene complacuit; quam id illi gratum acceptumque nunc fore exiſtimamus, cum defunctum ærumnis ac laboribus, ſumma cum religione ac reverentia, glorioſum & immortale defertur? Neque exiſtimare debemus, minus multos ad nos fructus ab hoc Sacrificio defluere, quia ſanguine careat. Nam, ad remiſſionem peccatorum quod attinet, perinde illud valet, ac ſi nunc pro nobis cruentum in ara crucis immolaretur.

Deinde, non modo in hoc Sacrificio, Chriſtus verus agnus immolatur, verum etiam panis & vinum in Corpus & Sanguinem Chriſti convertitur. Itaque duplici in eo Sacerdos munere fungitur. Nam, & Chriſti Corpus conficit, ac nobis exhibet, & Deo illud Patri, pro ſuis

atque

atque omnium hominum culpis & ſceleribus, immolat. Quæ ſane poteſtas, ſummo atque admirabili Dei beneficio ac munere, ſoli ipſi, neque alteri cuiquam præterea, tribuitur.

Poſtremo, in hoc eodem Miſſæ Sacrificio, cui, ſicut hactenus diximus, nihil in terris par & ſimile invenitur, militans Eccleſia cum triumphante conjungitur, atque ex utraque unum atque idem corpus efficitur. Quod aperte verba illa demonſtrant, quæ leguntur in Canone, *Communicantes, & memoriam venerantes.* Ac, ne multis morer, tum præſertim illud manifeſte declaratur, atque adeo proponitur, quod in Symbolo, de ſanctorum communione, profitemur ac credimus.

Concluſio ac peroratio.

EX iis, quæ hactenus dicta ſunt, conſtat, qua veneratione cultuque dignum ſit hoc Sacrificium: quo nihil, ne excogitari quidem poteſt auguſtius, neque præſtantius. Quid mirum igitur eſt, ſi tantus eidem honos ab omnibus Chriſtianis hominibus habeatur! Etenim, quis Princeps, quis magiſtratus, quis ſuperior, ſive ſit ſecularis, ſive Eccleſiaſticus, ſive religioſus, ſi Sacerdotem accerſiri ad ſe jubeat, atque eum audiat ad altare rem divinam facere, non continuo vetet, eum interpellari? Par eidem honos à ſummo Pont. exhibeatur neceſſe eſt; qui nulla unquam ratione committet, ut ille, in re tanta occupatus, accitu ſuo evocetur, atque ad ſe venire cogatur. Quod longe ſecus accideret, ſi aliud quodvis vel religioſum vel pium opus inſtituiſſet; ſi videlicet oraret, horas canonicas recitaret, confeſſiones audiret, aut aliquid ejuſmodi aliud efficeret. Nam liceret ſuperiori, ſi ita ſibi res poſcere videretur, mittere Sacerdoti, qui diceret, ut, relictis rebus omnibus, ſtatim ad ſe veniret. Vnde licet intelligere, nihil vacui ac liberi temporis Sacerdoti contingere, & quod vere poſſit dicere, totum eſſe ſuum, neque aliquid in eo juris quemquam habere, præter id tempus, quo Corpus & Sanguinem Domini, in Sacrificio, ad altare conficiat. Quin etiam Deus ipſe, hoc tempore, nullum ab eo externi

cultus & honoris ſignum efflagitat. Nam ſi illac, ubi res divina fiat, ſacra hoſtia deferatur, vel eadem, in proximo altari, ſigno campanâ dato, in altum extollatur, vetat Deus Sacerdotem, adorandi gratia, ſe commovere, atque id, quod agat, omittere. Quod ſi Deo eſt tam eximius, cujuſmodi ſanctis Angelis erit! qua demiſſione animi, qua reverentia, beatiſſimæ illæ mentes ſacris altaribus aderunt! Quid agis, ò Sacerdos? quid cogitas? cur non ſedulo tibi in animum ſubjicis, qua probitate præditum, quibus virtutibus ornatum eum eſſe oporteat, qui ad faciendam rem ſacram accedat; quæ animadverſio, quæ demiſſio animi, qui ardor, quæ fiducia, quæ pietas, quæ caritas in eo requiratur, qui ſe tantæ rei miniſtrum exhibeat?

His igitur in mente & cogitatione defixis, &, ſi ita videatur, ad numerum dierum hebdomadis diſtributis atque deſcriptis; facile Sacerdos aſſequetur, ut intelligat, cujuſmodi oporteat eſſe eum, qui vocatus eſt à Deo in ſortem hujus miniſterii: ceteri vero fideles habebunt, quid attente ac religioſe meditari in iis ſacris poſſint, in quibus interſint.

XIX.

Longe præſtantiſſimo viro,

TYRRHENO.

PRoximis meis ſuperioribus literis, pollicitus fueram, Io. Iuvenalis Ancinæ Saluciarum Epiſcopi vitam me tibi miſſurum. Quod autem non ſervaverim, in eo quod promiſerim, fidem, non id quidem mea culpa contigit; ſed eorum, quibus eam commodaveram, factum eſt cauſa. Nulla enim vi, quamvis omnia conatus ſim, extorquere ex eorum manibus potui. Primum, qui nunc illis præeſt, repetenti mihi eam, humaniter reſpondit, ut ſolet; daturum ſe operam, ut mihi ſatisfieret. Deinde, cùm acrius inſtarem, rem ſe ad quatuor viros illos relaturum ait, quorum conſiliis, in rebus difficilibus, uteretur. Iubet me reverti poſtridie. Revertor.

Mittit

Mittit ad unum ex illis quatuor, cui partes datas eſſe narrabat, me conveniendi, mihique animum explendi. Accurro hilaris, ut librum exciperem, ac meos ad lares, tanquam ab exilio, reducem facerem. Sed hunc me laborem lucriſacere bonus ille vir, qui mihi expleturus erat animum, juſſit: nam ſumma oris verborumque gravitate nunciavit, omnes uno ore auctores fuiſſe, ne liber ille regionem commutaret, immo ut cuſtodiis omnibus vinctus teneretur, ne qua foras exiret. Cumque ego tam ſeveri S. C. cauſam exquirerem, Quia ſummi Pont. decreto cautum eſt, ait, ne res miræ & ſupra naturæ vires, quæ patratæ dicuntur ab iis qui nondum in Sanctorum numerum relati ſunt, literis mandentur, & in publicum efferantur; ne videlicet probis ac ſimplicibus viris falſa miracula pro veris obtrudantur. Bene agis, inquam; ergo, ne legi fraus fiat, hæc me omnia prætermiſſurum, & reliqua perſecuturum, polliceor. At, illis detractis, ait, quid reliquum erit, quod de illo ſcribatur? Multum ſane, excipio; atque, in eorum quæ detracta fuerint locum, longiores de illius virtutibus logos ſubſtituam, iiſque ſpirituales ſententias plures intexam; adeo ut non modicum corpus, ex earum rerum explicatione, conficiam. Ad eundem ſcopulum, inquit ille, revolveris; an legem neſcis pari eos jure comprehendere, qui nova ac mira, atque eos, qui egregia eorum facta, conſcripſerint, de quibus, tanquam de optimis atque ſanctiſſimis viris, bene vulgus exiſtimaverit, &, ſi quis ejuſmodi liber in publicum prodeat, fore ut illico inter vetitos numeretur? Tum ego commotus, Adigis me quidem, ajo, ad inſaniam; quid audio? licet, ſemperque licitum fuit, turpia improborum hominum, non modo facta, ſed dicta, quæ penitus evellenda eſſent ex hominum memoria, literis mandare, & tanquam poſteritati conſecrare; quæ vero viri, omnium ſanctiſſimi, pie, religioſe, vel cum aliqua virtutis laude fecerunt, quæque ad æmulationem ſimilium exemplorum, non modo typis imprimenda, verum etiam in animis omnium defigenda eſſent, ea ſilentio obrui, atque à notitia hominum removeri mandantur, non aliam ob cauſam, niſi quia, de illorum hominum probitate atque

juſtitia, magna fuerit opinio multitudinis? Tenes, ait ille. Sed, cum id veriſimile non videretur, mihique ab eo verba dari ſuſpicarer, Cedo, inquam, librum; jam, ſi quæ tempeſtas ex illius editione orietur, in me hærebit, atque ea, ut dicitur, fabâ cudetur. Hic ille, Impudentiam hominis, clamat, qui eo ſe crimine alligare non dubitet, cujus pœnæ dedecus, tum in noſtram familiam, ſi liber proſcribatur, tum in ſancti viri exiſtimationem, ſi ejus laudibus fides detrahatur, redundaturum ſit. Ne multa; ita tum diſceſſi ab illo, ut qui librum ſe daturum negaret, diceret tamen, ſe atque ſuos mihi omnia cupere, non tamen poſſe hac in re gratificari; proinde quieſcerem, aliiſque in rebus, quæ ad ipſorum exiſtimationem, è quorum numero Iuvenalis fuerat, minuendam non ſpectarent, ingenii laudem quærerem. Hæc eo longius tibi narranda eſſe duxi, ut cauſa pateret, quamobrem mihi ejus, quod promiſeram, faciendi facultas non ſuppeditaverit. Vale. Romæ, IV Non. Septembr. CIↃ IↃ CXLII.

XX.

Præſtantiſſimo nobiliſſimoque viro, TYRRHENO.

SAtis dici verbis non poteſt, quam ego ſim avidus cognoſcendi ex te, de morbis tuis, quos adeo te ſolicitum habere narrabas; num tecum mitius agant, vel potius, id quod maxime cupio, prorſus abſceſſerint. Audivi de Equite Caſſiano Puteo, te fuiſſe profectum in Galliam, ut optimis illis ſecandi magiſtris calculum, qui tantum tibi negocium exhibet, ſectione diſcludas. Quod ſi eſt ita ut dicit, curationem iſtam tibi feliciter evenire exopto. Nos hic Romæ in magno terrore metuque verſamur; quem nobis metum Parmenſium Dux conficit, qui, cum equitum quatuor millibus, in agrum Bononienſem, nemine prohibente, invaſit; quamquam exercitus noſter, ad eum repellendum ibi in præſidio collocatus, non procul abeſſet; qui ſi auſus eſſet obſiſtere, facile illas deſperatorum hominum turmas, imbri, laſſitudine, ac

dine, ac fame confectas, deleſſet. Inde per Æmiliam, Caſtilionum, quod eſt Etruriæ oppidum, venit Dux, octo millibus peditum, ut dicitur, auctus; unde nihil, præter bombardas quatuor,& magnum frumenti numerum, cujus maxime erat indigens, abſtulit. Prædicare ipſum, ajunt, ſe non adverſus Eccleſiam, cujus ipſe propugnator ſit atque vexillifer, ſed contra inimicos ſuos, bellum gerere, qui, plus iræ ſuæ quam æquitati tribuentes, bonis ipſum ſuis everterint. Interea magnus fere omnes Romæ timor invaſit; quem timorem auxit Pont. qui duobus menſibus celerius, quàm ſuperioribus annis conſueverat, è Quirinali in Vaticanum ſe contulit; ſecutus, ut ſui prædicant, & ut ego arbitror, mitioris aëris oportunitatem; quem ſibi longe illo ſalubriorem expertus eſt eſſe. Sed populus, utpote meticuloſus, ſuſpicatur, ut, ſi rumor ſit, hoſtem adventare, illico in arcem, Vaticano proximam, confugiat; quam in arcem, frumentum, vinum, caſeum, laridum, pernam, ligna, & alia,tanquam ad longam obſidionem ſuſtinendam, comportari videas. Artifices, qui ſint ferendis armis idonei, deſcribuntur, ut manualia eiſdem tormenta dividantur. Romanorum nobiliſſimi locupletiſſimiq;, mulieres præſertim, aurum, veſtem, atque alia pretioſa, arcis incluſa, ad amicos in urbem Leoninam mittunt; quæ urbs, quoniam undiq; vallo ac foſſa munitur, contra hoſtium incurſus ſatis tuta fore exiſtimatur. Quamobrem foſſæ, quæ circa ipſam ſunt, exhauriuntur, quo aqua, è Vaticanis fontibus ducta, poſſit excurrere; munitionibus muri addnntur, foraminibus æquo intervallo diſtincti, unde propugnatores tecti ferire hoſtem poſſint; in eis milites, cuſtodiæ cauſa, collocantur; portarum tranſitus pontibus ligneis conjunguntur, quibus detortis, hoſtibus aditus intercludatur; per totam Vrbem vigiliæ habentur; denique nihil prætermittitur, quod ad propugnandum ac repellendum hoſtem pertinere videatur. Conſilia fere quotidie, apud Pontificem, de belli adminiſtrandi ratione habentur. Et quamvis excelſus Pontificis animus nihil præſentibus periculis frangatur, civitas tamen nihilo ſegnius permovetur, trepidat, atque ex vero periculum æſtimat. Aliquot ex vicinis meis, auro

argento, aliiſque carioribus rebus convaſatis, alius alio, profectionem adornat. Mihi quamvis, in urbe Leonina, amici cujuſdam mei domus pateat, tamen certum eſt, locum non mutare, ſed, quicumque acciderit caſus, hunc quieto & æquo animo ferre. Sed hæc hactenus. Dialogi duodecim noſtri, Gabrielis Naudæi opera, jam ſunt Pariſiis impreſſi; quos arbitror celerius in iſthæc loca, quam Romam, perventuros. Scripſit ad me Naudæus, eum, cujus ſumtibus prælo traditi ſunt, optima eſſe in ſpe, ut liber emtorem inveniat, quod ſtylus iis, qui ſunt ejus rei intelligentes, probetur. Tu, velim, me in tuorum numero habeas, ac de recuperata valetudine certiorem facias. Romæ, Kal. Octobr. CIↃ IↃ CXLII.

XXI.

TYRRHENO.

HEri redditæ mihi ſunt à te literæ, duos ferme poſt menſes quam datæ fuerunt, fumo ac ſordibus obſitæ, ac propemodum laceræ. Quem habitum ſitumq; ex illius, qui eas mihi reddendas acceperat, ſacculi tenebris, in quibus diu latuerant, contraxiſſe exiſtimo. Qui quidē capital fecit, cum me tam diu tuarum literarum ſuavitatis expertem eſſe voluerit, &, quod refert, cognoſcendi facultatem ademerit, ubi eſſes, ut valeres, quid ageres; quæ vehementer ſcire cupiebam. Scribis, poſtridie iſtic Pariſienſem chirurgum adfuturum, qui ſectione calculum, qui tantum tibi negocium exhibet, abſtrahat. Iam eum operi manum admoviſſe credo, teque, periculis omnibus defunctum, integrum ac validum in ocio ac tranquillitate ævum exigere. Quæſo, ſi te à me coli, obſervari, ac diligi, quemadmodum tuæ eximiæ virtutes poſtulant, arbitraris; ut jubeas, tam optati nuncii me quamprimum per literas participem fieri; ut mihi gaudeam, tibi gratuler, Deoque immortales gratias agam. Pergratum mihi fuit intelligere, Pinacothecam jam eſſe in Belgio editam: ac miror, Dialogos, jam pridem Pariſiis impreſſos, iſtic nondum comparuiſſe; ſed diutius eſſe in mora non poſſunt. Si memoria tenes, in noſtra,

apud

apud patres Soc. Ieſu, Sodalitate mos eſt, ut Dominicis diebus collationes, ut nunc loquimur, fiant; cum Sodales aliquot, qui ſint eam ad rem apti, à Patre, qui illis præeſt, interrogantur, ut, ſi quid ex Euangelio, quod eo die in Sacrificio Miſſæ audierant, ſibi proficuum ac notatione dignum acceperint, ad utilitatem aliorum in medium proferant. Ego, ab initio ſuperioris menſis, his productioribus noctibus, cœpi terna ex ſingulis dierum Dominicorum Euangeliis, quæ mihi uſui ſint & aliis proſint, puncta colligere, eaque Latinis mandare litteris. Quod opus, ſimul ac erit abſolutum, ac tibi commodam valetudinem obtigiſſe cognovero, ſi videbitur, nec tibi erit ingratum, continuo mittam ad te, ut legas, (non enim erit, ut arbitror, tua lectione indignum,) atque aliis legendum tradas. Nos hic à belli ac direptionis metu, Parmenſis Ducis abitu, liberati, in ocio vivimus. Quam direptionem hæc civitas perterrita, atque omnibus fere rebus ad reſiſtendum imparata, non potuiſſet effugere, ſi Magnus Etruriæ Dux, cui omnia bona Deus det, ſuum peditatum, quem in propugnaculis imperii ſui collocatum habebat, cum Parmenſibus copiis, quæ magna ex parte ex Venetum auxiliis conſtare dicebantur, conjunxiſſet. Sed optimus Princeps non eſt paſſus, tantum in ſe dedecus ac crimen admittere. Plures militum cohortes, atque equitum turmæ, ab Vrbe dimiſſæ, ſunt aptis in locis, unde ſtatim, ſi uſus veniat, contrahi in unum poſſint, in hybernis diſpoſitæ; diurnæ nocturnæque in muris vigiliæ haberi ſunt deſitæ: Vrbis tamen portæ adhuc à militibus cuſtodiuntur; &, quod mihi ægre eſt, adhuc hic collis, ab una equitum turma obſidetur, quæ illius amœnitati ocioque non minimum detrahit. In proximo Conſiſtorio, quod poſt triduum habebitur, Cardinalium comitia futura dicuntur, in quorum Collegium cooptabitur Thaddæi Barberini Principis filius natu major, qui jam clericalem habitum induit, & duobus inſignibus ſacerdotiis, Sublacenſi nimirum ac Farfenſi, ornatus eſt. Vale; nam plura ſcribere prohibeor, horribilibus canum ululatibus, ad viginti; quos in ædibus, domi meæ proximis, vicinus meus alit. Romæ, prid. Idus Decemb. CIↃ IↃ CXLII.

Clariſſi-

XXII.

Clariſſimo, atque omnium præſtantiſſimarum virtutum notis inſigni viro,

TYRRHENO.

EX omnibus, amicitiæ vinculo tibi devinctis, quos nuper tuus iſte morbus, tam atrox tamque anceps, habuit anxios atque ſolicitos, præcipuo quodam animi dolore metuque me fuiſſe diſtractum, facile tibi perſuadebitur, ſi tuorum in me meritorum veniat in mentem. Etenim mihi, homini, tibi ferme ignoto, quod nulla commotus re alia, niſi laudum tuarum ſplendore ac fama, tui nobilitatem generis, ſplendorem familiæ, atque olim, in ſumma rerum omnium abundantia, præſtantem florentemque fortunam, tum, quod tibi proprium eſt maxime nec cum aliis commune, magnitudinem ingenii tui, ac vim varietatemque doctrinæ, neſcio quo libello, ſane exiliter tenuiterque narraſſem; mihi, inquam, ſponte, humaniſſimis literis, atque omni Latini ſermonis elegantia refertis, gratias egiſti, latum ad tuam ipſius amicitiam aditum aperuiſti, tua doctiſſima carmina, in quibus omnis flos venuſtatis, omne poëticæ facultatis lumen eniteat, legenda ac deguſtanda tradidiſti. Atque, ſi ex magnitudine doloris, quem ex amiſſa tua valetudine mihi contigit experiri, de voluptate, quam ex eadem à te recuperata percepi, liceat exiſtimare, profecto erit cuivis perſpicuum, eam eſſe tantam, quantam maximam capere animus poſſit. Verum, legendis tuis literis, quibus cruciatus maximos, qui tibi fuerunt perferendi & carnificinam, ad extrahendum calculum, qui fuerat in fruſta dilapſus, tot ferramentorum generibus adhibitam, narras, ſane vehementer exhorrui, ac vix lacrimas tenui. At ſpes eſt, fore, ut maximi dolores tui, in quibus, pro virtute animi conſtantiaque tua, te ita fortem præbuiſti, longiſſimæ, nullaque interruptæ ægritudine, valetudinis fructu compenſentur. Pinacotheca nondum comparuit. Dialogi vero noſtri, Gabrielis Naudæi, amiciſſimi hominis,

minis, opera, Pariſiis impreſſi, non diu eſt cum Romæ cernuntur, ab eodem Naudæo mihi, Leoni Allatio, & Caſſiano Puteo miſſi; ſed ſingula eorum exempla ſingulis reddita. Sed in eo, quod traditum mihi eſt, folium unum deſideratur; itaque puduit me illud, ita obtruncatum ac mancum, cuiquam oſtendere. At Caſſianus miros de illis cum omnibus habet ſermones: eoſque Eudemiæ anteponit. Sed vereor, ne ſit illius benevolentiæ potius, quam judicii, teſtimonium. Scripſi ad Naudæum, ut plura eorum exempla iſtuc ad te mittenda quam primum curet; ut, cum priſtinas plane vires fueris aſſecutus, atque ocio abundaveris, quod tibi arbitror vix poſſe contingere, perlegas. Sed typographum, Latini, ut opinor, ſermonis inſcitia, pluribus in locis fuiſſe mendoſum invenies: nam, ſi quod verbum occurrerat, minus ſibi antea notum, librarii mendum putavit eſſe, ac pro eo aliud, quod ſibi eſſet familiare, ſubſtituit: quod, exempli gratia, in verbo nautea commiſit, quæ eſt aqua de ſentina, male olens, ut noſti; at hæc vox, cum ſibi inſolens ac nova accideret, ejus loco, nauſeam, quæ ſæpius ejus in aurium ædes immigraverat, poſuit. Quam vellem, hic liber Bartoldo Nihuſio, cujus mihi nuper amicitia conciliata, veniret in manus; quem ego, ex ſuis literis, virum eſſe probum, doctum, tuique in primis ſtudioſiſſimum novi; cui, cave quidquam de me, vix nauci homine, prædices: ne deinde, cum aliter ſe rem habere compererit, dependendum tibi ſit, quod illi pro me ſpoponderis. Crebriores deinceps à me literas, quoniam ita jubes, expecta; quas etiam, ſi nihil ſit novi quod ad te ſcribam, dabo. Neque verebor, ne mihi verba non ſuppetant. Nam luſciniolæ, ut eſt in proverbio, cantio deeſſe non poteſt. Vale. Romæ, Kalend. Februarii CIↃ IↃ CXLIII.

Clariſſi-

XXIII.

Clariſſimo, omniumque virtutum laude præſtantiſſimo viro;

TYRRHENO.

IAm pridem, ut noſti, induxit in mores ambitio, ut ſummatibus, omnique dignitate principibus viris, coram, ſi adſint, ſecus, per literas, dies feſtos, Chriſto tum naſcenti tum ab inferis reſurgenti ſacros, fauſtos à Deo precemur. At me, quem dudum vitæ ratio, atque exacta ætas, ab omni ambitione prorſus abſtraxit, quique re magis, quam inanibus hiſce ſignificationibus, officiorum momenta perſequor, hic uſus, qui invaluit, non poteſt attrahere, ut cum amicis, divitiis, opibus, & honoribus, longe præſtantibus, ad declarandum meum erga illos cultum & obſervantiam, hoc ſigni genere utar. Quo fit, ut neque ad aliquem abſentem; hac de cauſa, veniam; atque animo magis quam externa re aliqua, & dies feſtos, & omnia, evenire illis ex ſententia, cupio. Verum, quia te genus, ingenium, eloquentia, omniumque elegantia literarum, mihi conjunxit, ſed multo arctiori vinculo virtus, ſanctitas morum, tuuſque mihi ultro delatus amor, & is in ſummis quidem graviſſimarum rerum occupationibus, in acerbiſſimis corporis doloribus, atque in extremo vitæ periculo conſervatus, implicant atque conſtringunt; efficiunt, ut, non ſine nefario ſcelere, aliqua à me occaſio prætermittatur, tibi declarandi, quantum debeam, quamque alte tuorum erga me beneficiorum memoria mihi hæreat in animo; utque nullum ſit honoris genus, ita magnificum, ita edito in loco ſitum, quod non tuis ſummis virtutibus, & egregiis in Remp. meritis, jam diu deberi exiſtimem. Sed ad ſummam illam voluptatem, qua ex ſingularibus tuis in me beneficiis officiiſque perfundor, aliquid influit, quod puram ac liquidam eam mihi abire non patitur; mea, inquam, proſtrata & afflicta fortuna, qua, video, nulli me tibi eſſe uſui poſſe. Quamobrem, licet mihi quidem

quidem lætari tuis omnibus ornamentis & commodis, non tamen gaudere, ad ea conſequenda, aliqua ex parte meam tibi operam idoneam atque utilem extitiſſe. Hujus tamen mei doloris acerbitas non parum ea, quæ in te redundat, gloria mitigatur. Tibi enim eſſe glorioſius exiſtimo, amandum, tuendum, ornandumque ſuſcepiſſe eum, unde nulla tibi ſpes utilitatis commoda oſtendatur, quam ſi te illi dediſſes, cujus opera tuis maxime rebus oportuna eſſe poteſt ac commoda; quod iſtud videatur hominis, magis ſe ipſum amantis, quam amicum, illud ſolius proprium ſit Dei, cujus in nos beneficia ſunt gratuita, neq; ullius antecedentis meriti rationem, aut ſpem utilitatis futuræ, ſequuntur. Supereſt, ut tuum mihi amorem, & commodandi ſtudium, eſſe perpetuum cupiam. Id quod etiam, pro tua animi magnitudine atque conſtantia, mihi eventurum exiſtimo. Vale; atque hos dies ſanctiſſimos ac celeberrimos, hilares in Domino ſume. Romæ, XIII Kalendas Aprilis CIↃ IↃ CXLIII.

Pinacotheca, nondum eſt ad nos allata. Hermannus, bibliopola Romæ in primis nobilis, qui, cum omnibus fere Europæ impreſſoribus, magnæ pecuniæ rationem habet, tres ferme ab hinc menſes, mihi dixit, multa ejus exempla eſſe Liburni, ab eo, qui illam impreſſerat, ſibi miſſa; ſed adhuc, propter navigandi difficultatem, Romam pervenire non potuiſſe. Neſcio, an Dialogi ſint adhuc iſtuc allati. Scripſi ad Naudæum, ut eos quamprimum ad te mittendos perferendoſque curaret; ſed nondum, cum ſæpius ſcripſerim, ne unam quidem ab eo literam, poſtquam abiit, potui exſculpere. Iterum vale.

XXIV. Sin-

XXIV.

Singulari doctrina atque ſapientia viro,

TYRRHENO.

SI me, ex longo & ancipiti morbo, convaleſcere, vel potius ſi mortuum ab Orco revocari contingeret, non ita exultarem gaudio, ut nunc efferor, cum te, quem prope extinctum luximus, ex præcipiti levatum, &, in veterem priſtinæ valetudinis locum, reſtitutum fuiſſe comperio. Quod mihi gaudium tuæ elegantiſſimæ, omnique ſuavitate refertæ ad me literæ cumularunt: ex quibus intellexi, curationis illud genus, quod, propter ejus acerbitatem diritatemque, ſub manus raro ſuccedit, tibi ex ſententia eveniſſe. Et ſane eſt, quod maximas Deo immortali gratias agamus, quod nobis, tantopere de ſalute tua ſolicitis, in precibus ac votis occurrerit. Nondum domo pedem extuliſſe te arbitror, ac populo iſti, qui, tam egregiis amoris in te ſui ſignificationibus, ſalutem tuam ſua ſibi cariorem eſſe oſtendit, vultum tuum oſtendiſſe; idque ob anni tempus tam adverſum. Nam, ſi Romæ, ubi hyems, ob cæli tepiditatem, florum multitudinem, herbarum viriditatem, veris cujuſdam ſpeciem præfert, nunc Idibus Aprilis aër, ex leniſſimo mitiſſimoque, ita factus eſt acer atque aſper, ut non alias majore, quod meminerim, frigoris acerbitate deſævierit; quid iſtic eſſe oporteat, ubi debacchantur frigora, dominatur Aquilo, ubi nives tempeſtateſque, tanquam in ſuo regno, omnia propemodum anni tempora moderantur ac regunt? Verum, ubi aſpectus jucundiſſimus tuus, quaſi fauſtum aliquod ſidus, affulſerit; jam, credo, venti conticeſcent, imbres niveſq; receptui canent, contractæ hyemis ſævitiæ, hilaris, verni temporis, frons & manſuetudo ſuccedet. Tum, quanta omnium animi voluptate perfundentur! quibus gaudiis exultabunt! quibus lætitiis incedent! Ac videre jam videor concurſus ad te omnium omnis ætatis atque ordinis hominum, gratulationes, plauſus, amplexus, honores, quibus illi clau-

clauſum pectoris in gremio gaudium, vel potius pectus ipſum apertum ac patens, conentur objicere. Nam, ſi antea, cum emanaſſet in vulgus, lethali te correptum morbo, ad extremum fere caſum eſſe adductum, in mœrore fuerant, lacrimas non tenuerant, ſupplicationes pro ſalute tua decreverant, vota fecerant; ſi deinde, cum eſſet auditum, te, periculis omnibus defunctum, in portu, ut dicitur, navigare, oculis, ore, verbis, lætitiam ſuam explicaverant; quid reliquum nunc eſt, niſi ut præſenti tibi cor ipſum, unde fons omnis & origo lætitiæ promanat, aperiant? Quo nihil tibi poteſt, nec honeſtius nec honoratius, accidere. Siquidem ille verus eſt honor, qui à caritate ac benevolentia civium proficiſcitur; non autem ille, qui ambitione, vel gratia, vel precio comparatur: quique hac via ad honores nititur, honoris nomen, non autem honorem, conſequi ſtudet. Quamquam communis ſit omnium opinio, te celeriter eſſe, maxima cum gratia & gloria, ad ſummam amplitudinem perventurum. Non enim nunc Epheſi vivimus, ubi præſtanti ſapientia cives à Repub. pellebantur; ubi etiam, cum Hermodorus juberetur in exilium ire, ea audita vox eſt, Nemo de nobis excellat, ſed ſi quis extiterit, alio in loco & apud alios ſit; ob quam vocem Heraclitus Phyſicus Epheſios univerſos ait fuiſſe morte multandos: neque Athenis ætatem agimus, ubi omnis exuperantia virtutis in odium & invidiam vocabatur: ſed verſamur cum iis, qui egregia cujuſque in Remp. merita honoribus ac præmiis afficiunt, quibuſque tua ſingularis virtus atque præſtantia optime nota eſt atque perſpecta. Sed, ut eo revocetur, unde huc declinavit, oratio; communem iſtam hominum de te lætitiam, facit mihi quodammodo peculiarem ac propriam, tum egregius tuus in me amor & ſtudium, tum magnitudo beneficiorum, quibus à te auctus ornatuſque ſum. Atque ut præteream, quod me ſponte tua ad tuorum amicorum numerum aggregaveris, quod ſæpius, datis ad me literis, de tuis rebus certiorem feceris, quod tua elegantiſſima mecum carmina communicaveris; quale eſt illud beneficium & quantum, quod in tuis maximis occupationibus, in lethali morbo, in acer-

biſſimis veſicæ doloribus, qui non ſolum nos abſtrahunt ab omnibus aliis curis & cogitationibus, verum etiam pene à mente conſilioque deducunt, neque mei abſentis memoriam ejeceris! Pinacotheca non illepidos ſummo Principi ludos dedit, qui interdum ab orbis terræ procuratione feriatus, ad hanc animi remiſſionem, humaniſſimam liberaliſſimamq;, deſcendit, quæ ex elegantiū literarum ſtudiis percipitur; quod eos, quorum in illa imagines, tanquam ſuſpenſæ, cernuntur, partim ipſe viderit, partim amicitia comprehenderit, partim, de eorum ingeniis, auditione & fama acceperit. Nec minor Franciſci Card. Barberini; & eruditorum, favor ac ſtudium enituit; quos neque precium ab emendo deterruit, neque labor à legendo detinuit; ſed habent eam, legunt, & ſunt iis, qui non habent, (nam carior eſt ejus exemplorum annona,)in commodando gratioſi. Quæ omnia, cum ad decus & exiſtimationem meam redeant, incredibili, me tibi, qui præſertim, ut ederem libellum, ſuaſor impulſorque fuiſti, amoris & obligationis nexu devinciunt. Illud mihi ægre eſt, quod verba, quibus tibi gratias agam, non ſuppetunt: ſunt enim omnia infra tua erga me merita. Quamobrem patere, me ſilentio, quæ oratione explicari non poſſunt, involvere, ne, dum ea conor exponere, minora verbis efficiam. Statui, poſthac meum ocium in gravioribus ſtudiis conſumere, neque committere, ut, dum ſtudioſius aliorum voluptati conſulo, indiligentius ſaluti meæ; quæ ceteris mihi rebus carior debet eſſe, proſpiciam. Iamque cœpi, ut Sodalitatis noſtræ mos eſt, tema ſingulis ab Euangeliis, quæ Dominicis diebus leguntur, puncta decerpere, ad componendos mores utilia. Quod opus, ſimul ac abſolvero, mittam ad te, ut, ſi tibi ſit voluntas vel ocium, legas. Eques Puteanus, & P. Fuligattus, quos per me tuis verbis ſalvere juſſiſti, mutuam tibi ſalutem referunt, ac fauſta omnia à Deo precantur. Vale. Romæ, Idibus April. CIↃ IↃ CXLIII.

XXV.

Clariſſimo doctiſſimoque viro,

TYRRHENO.

NVllas à te unquam literas accepi, quibus, pluribus verbis, reſponſum non dederim. Non enim fuiſſem tam ſuperbus vel potius inhumanus, ut paterer, accuſari abs te officium meum. Quod autem meæ ad te literæ aliquantulum conticuerint, argumenti fecit inopia. Nam, quod ſcriberem, non habebam. Nunc autem, cum deſiderare te ſignifices meas literas, poſthac optatis tuis diligenter occurram; &, cum nihil erit quod ſcribam, faciam id, quod olim imperavit Attico Tullius, ut iſtuc etiam ſcribam, me nihil habere, quod ſcribam. Quamquam literæ, quas proxime ad me dediſti, uberem mihi atque amplam longiſſimæ epiſtolæ materiam exhibere videantur, qua ſine fine tibi gratias agam, de ea cupiditate, quam præ te fers, nomen ut noſtrum ſcriptis, quæ apud nos jacent in tenebris, in conſpectum lucemque profetendis, clarius ac celebrius evadat, tuamque ad id commendationem polliceris. Quæ tua ſingularis in me humanitas & ſtudium adigit me, ut tibi, plus quam parentibus meis, debere profitear. Illi enim exiguis incluſam mihi finibus vitam pepererunt: tu vero, nominis noſtræ memoriæ non breve neſcio quod tempus ſed multa ſæcula, propagare conaris. Illi, corpus mihi fragile, & innumeris obnoxium caſibus, tradiderunt: tu ingenii famam, monumentis ejuſdem ita prodendis, quam neque inimicorum vis ulla, neque imbrium ventorumque injuriæ, neque, ut ille de ſe cecinit, *innumerabilis annorum ſeries* poſſit evertere, quod in te eſt, æternam mihi ſtudes efficere. Illi non potuerunt aliam mihi patriam conſtituere, præter ejus urbis ambitum, ubi me genuerunt: tu elaborando, ut lucubrationes meæ in lucem exeant, dare videris operam, jam ut mea patria, non certis oppidi unius finibus terminetur, ſed ut

 pene

pene iiſdem, quibus orbis terræ, regionibus definiatur. Hos ego conatus ſi in quovis homine, quantumvis tenui obſcuroque, laudarem, diligerem, magni æſtimarem; quanti eos me æquum eſt facere, in Tyrrheno, tali viro, tamque præſtanti, tot rebus geſtis claro, tot honoribus functo, tot nobilitatis, ingenii, doctrinæ, induſtriæ prudentiæque laudibus eximio, qua eoſdem me benevolentia complecti, quibus ſtudiis, quibus gratiarum actionibus, proſequi! Dixeram antea, tuas mihi literas magnam longæ epiſtolæ conficiendæ materiam ſuppeditare, eo quod pluribus verbis, eiſdemque ornatiſſimis, de tua iſta egregia in me voluntate tibi gratiæ ſint agendæ. Sed longe aliter evenire nunc ſentio. Nam verba, quibus tibi gratias agam, non invenio; nec orationis vim aliquam habeo, qua id, quod dicam, perinde à te percipi intelligentia poſſit, atque ipſe cogitans ſentio. Quo fit, ut, in magna rerum abundantia, dicendi paupertate laborem, meque, qui tibi quondam non plane infans viſus ſum, verba deficiant. Quamobrem oro te obteſtorque, ut ſi tibi, ita ut par eſt, gratias non agam, ne id ingrati mihi animi vitio attribuas, ſed magnitudini tuorum in me beneficiorum aſſignes, ac ſatis officio meo factum exiſtimes, ſi verbo ac ſimpliciter ponam, beneficia illa talia eſſe, quæ exæquare dicendo, neque mea neque cujuſquam poſſet oratio. Iam vero, ad mea ſcripta quod attinet, non alia ſunt apud me reliqua, (nam Epiſtolas & Orationes ſecum Naudæus attulit,) niſi de rebus ſacris ac divinis. In quibus imprimendis, ſumptus atque opera luderetur, quod neque emptorem neque lectorem invenirent; quia homines, ut nunc ſunt mores, à rebus gravibus atque ſeveris abhorrent, & amœnis ac levibus inhiant. Eſt tamen liber Exemplorum, quæ nemo adhuc, quod ſciam, literis tradidit, quæque ob rerum novitatem, gravitatem, varietatemque, non mediocrem lectoribus poſſint utilitatem ac voluptatem afferre. Mittam ad te librum, per partes, ut, cum legeris, de eo quidquid tibi videbitur ſtatuas. Vidi nuper, Romæ, tui oris imaginem, egregia delineatam arte, & in pagina impreſſam, à P. Silveſtro Petraſancta Soc. Ieſu mihi oſtenſam. Quod ſi contingeret, me ſaltem unum

ejus exemplum imaginis habere, nihil mihi gratius accideret. Vale. Romæ, VIII Kal. Maji CIↃIↃCXLIII.

XXVI.

*Doctiſſimo eloquentiſſimoque viro,

TYRRHENO.

NVdius tertius redditæ mihi ſunt alteræ à te litteræ, ut aliæ omnes, omni verborum ſplendore perlucidæ, omnibus eloquentiæ ornamentis refertæ, omnis humanitatis ſale conſperſæ; quibus reſpondes iis, quas ad te proxime dederam, cum Paſchales ferias tibi felices ac fauſtas à Deo precabar. Sed non minima earum literarum pars in meis laudibus recenſendis conſumebatur: quas laudes, quia in me non agnoſco, ſed tuas eſſe omnes intelligo, in te, unde ortæ ſunt, regero. Nam, quid poteſt epiſtolis tuis dulcius, quid ornatius, quid elegantius inveniri? Ita ſunt puræ, ut nihil liquidius; ita Latinæ, ut, eas cum lego, Ciceronem vel Cæſarem mihi videar legere; ita colorem quendam urbanitatis retinent, ut Romam ipſam, tum cum Latine loquebatur, redolere ſentiam, neque veterum quiſpiam, ſi reviviſceret, & in eas incideret, aliquam illis poſſet peregrinitatis notam objicere; quemadmodum vetula illa, Athenis, Theophraſto, quamvis ille elegantiſſime loqueretur, atque à ſermonis divinitate nomen inveniſſet. At mea ſcripta, quæ tu, benevolentia credo ductus, quaſi Latina, in cælum effers, non poſſent effugere hoſpitis ſpeciem. Atque utinam hic ſolus urbanitatis color à meis ſcriptis abeſſet, neque in aliis multo majoribus vitiis ea invenirentur; bene cum illis actum eſſe exiſtimarem. Nam, ſi non plane Romana, ſaltem civitate donata fuiſſe, gloriarer. Atqui, ut de ceteris taceam, ſingularis in eis inertia ac negligentia deprehenditur. Nam, ſimul ac ſcribendi ardor atque impetus arripit, eo me deferri ſino, quo natura ipſa impellit. At non eſſet hoc reprehendendum, ſi, cum motus ille animi me, tanquam ventus, defeciſſet, vela colligerem, & ocioſus, ad ea quæ ſcripſiſſem, mentem oculoſque converterem, cenſoris par-

tes ſuſciperem, in unamquamque rem animadverterem, quæ ſeſe nimium profudiſſent revocarem, quæ anguſtius comprehenſa eſſent dilatarem, quæque vitio aliquo laborarent emendarem atque corrigerem. Sed ita laborem hunc, tam neceſſarium, refugio, ut mori videar, ſi quando, re neceſſaria coactus, eum ſumere debeam. At vide, quanto mea mihi ſcripta ſint odio; ut ea ne relegere quidem ſuſtineam, & procul ab oculis faceſſere jubeam. In quo feras ipſas immanitate ſuperare convincor, quæ partus ſuos diligunt, alunt, fovent, ad maturitatem perfectionemque perducunt. Vt autem deſcribam, nulla condicione poſſum adduci. Quid mirum eſt igitur, ſi ſit mendis referta; ſi unum aut alterum in eis verbum deſit, ſi plures abundent, ſi nomen unum loco alterius poſitum inveniatur! O ſi ego à te impetrare poſſem, ut, quæ iſtuc mitto, ſive ſint imprimenda ſive non, cuipiam mediocriter literato legenda traderes, ut, ſi quid peccatum eſſet, corrigeret: nihil mihi gratius poſſet accidere. Sed hæc hactenus. Rumores, de nova tibi provincia decernenda, hic Romæ nulli circumferuntur. Ego illud velim, quod in rem tuam ſit. Et quamquam ardeo deſiderio incredibili te videndi, hunc tamen ardorem mitigabit magnitudo præmiorum & gloriæ, quam in hac luce orbis terrarum, ex repub. bene geſta, conſequeris. Sed, ubivis fueris, ſive iſtic, ſive Venetiis, ſive Romæ, me tibi, arctiſſimo benevolentiæ vinculo, ob magnitudiuem tuorum in me beneficiorum, obſtrictum, & præconem laudum tuarum, habebis. Doleo, ſcriptorum meorum genus non eſſe ejuſmodi, ut parere cuipiam nominis inmortalitatem poſſit. Sed non eſt tibi quærendum foris, quod abunde ſit domi. Ea enim tui vis eſt ingenii, ea etiam, tum in ſoluta oratione, tum in verſibus, verborum copia ac ſplendor, ut tui aliorumque commemorationem nominis adæquare, cum omnium ſæculorum poſteritate, facile poſſis. Interea valetudinem tuam cura diligenter; quam, Dei beneficio, & anni tempore mitiſſimo operam dante, eſſe arbitror in vado. Nam, quæ vos intempeſtiva iſtic frigora, Aprili menſe, vexarunt, nos etiam hic Romæ, peræqua proportione, cruciarunt; adeo ut nunquam

ma-

majora me fuiſſe expertum meminerim. Etenim, cum iiſdem plane veſtibus uterer, quibus tota ſuperiore hyeme uſus fueram, adeo me nihil ab iis, ad frigus propulſandum, adjuvari ſentiebam, ut nudus viderer incedere, ac ſæpe, tanquam ſi meis ipſe oculis non crederem, corpori manus admoverem, quo experirer, num ſagum, thoracem, femoralia, mecum afferrem, an domi reliquiſſem. Quamobrem bene mihi à natura fuiſſe proſpectum exiſtimo, quod iſtic naſci non contigit, ubi tantopere frigus deſævit; præſertim cum iſthac corporis conſtitutione, qua præditus ſum; cui nihil eſt tam inimicum, quam frigus. Quod ſi iſtic ab iis, qui me genuerunt, collocatus fuiſſem in vita, ſtatim, ab eadem devolutus primo; ut ita dicam, ventorum atque nivium impetu eſſem; ac, ſi hyeme hujus me lucis uſuram contigiſſet accipere, connumerari inter inſecta illa potuiſſem, quæ ephemera appellantur: nam, quo ſpiritum die hauſiſſem, eodem exhalaſſem. Sed omiſſis jocis, Bartoldus Nihuſius ſuam mihi, in lucubrationibus meis edendis, fidelem, aſſiduam, ac diligentem operam ultro pollicetur. Cujus tam propenſam in me voluntatem illuſtiſſimo Nuncio Chiſio acceptam referendam eſſe, fateri compellor. Ejus enim commendatione, quæ plurimum apud omnes poteſt, ſum illi traditus. Et quia ſe eſſe mearum literarum cupidum oſtendit, dedi operam, ut homini animum explerem; &, ſumpta occaſione à quadam epiſtolæ, quam proxime ad me dederat, particula, dialogum; quem ad eum mitto, conſcripſi. Rem mihi gratiſſimam feceris, ſi ſemel, quodcommodo tuo fiat, percurreris, &, ſi nihil habere ineptiarum compereris, obſignatum, ad amicum perferendum curaveris. Vale. Romæ, iv Idus Maji CIↃ IↃ CXLIII.

XXVII.

Summa ingenii, doctrinæ, & humanitatis laude præſtanti viro,

TYRRHENO.

NOvi, quod ad te ſcribam, nihil habeo. Sed, quoniam pollicitus ſum, quoties occaſio ſe dederit, quamvis nulla ad ſcribendum materies ſuppeditat, tibi literas mittere; ut ſervem, in eo quod promiſerim, fidem, id ipſum ſcribo, nihil eſſe, quod ſcribam. Niſi aves ſcire de bello, quo tota nunc ardet Italia. Verum, ab eo, utpote pacis ociique ſtudioſus, ita abhorreo, ut inde, ubi de hac re, mihi in primis odioſa, ſermones conventuſque habeantur, me ſurripiam, domum abeam, ac ſermonem ſegregem. Tantum dicam, nihil tam Romæ conſpici, quam pedites equiteſque decoris armis inſtructos; nihil tam audiri, quam ſtrepitum tympanorum, clangoremque tubarum. Sæpe pars aliqua copiarum, in platea, quæ principis Apoſtolorum Ædi ſubjicitur, ſe ludicra armorum tractatione exercet: fit illuc populi concurſus: ſummates ipſi eo ſpectaculo ſuos oblectant oculos, ac militum virtute, & ad pugnandum alacritate lætantur. Ego me domi contineo, vel eo abeo, quo ne eorum quidem armorum ſtrepitus, populique clamor plauſuſque perveniat. Dicitur ſummus Pont. peditum viginti, equitum quinque millium, numerum habere: nec minorem, juncti adverſus eum fœdere Principes, armatorum multitudinem obtinent. Nullum adhuc commiſſum eſt prælium. Quod ne fiat, ſummis à Deo precibus expetendum eſt, orandumque, ut ſedatis diſcordiis, rebuſque compoſitis, ab armis diſcedatur, vel eadem, communi conſilio, in Turcas convertantur; quorum magna claſſis Tarentum prætervecta eſſe dicitur. Interim via longa, quæ collem, ubi nos habitamus, amplectitur, vallo munitur. Munitionibus præeſt Card. Firenzola; qui traditam ſibi provinciam, ſumma cum diligentiæ, vigilantiæ, & aſſidui-

& aſſiduitatis laude, adminiſtrat. Iamque pene perfectum eſt opus. Qui Cardinalis, quo ad munus ſuum, tum mane tum veſperi, diligenter obeundum, ſit promptior atque celerior, cœnobium S. Honuphrii, munitionibus illis proximum, ubi una cum ſuis habitet, ſibi delegit. Vrbs minore civium frequentia habitatur, quam antea; & ager minus multis jugis aratur; cum autem per Vrbem incedas, nihil frequentius, quam ædes, vacuas inquilinis, aſpicias. Cujus rei cauſam fortaſſe belli metus ſuſtinet: nam ſunt hic homines valde meticuloſi. Accedunt tempora, ſive hominum injuria atque malitia ſive caritate pecuniæ, difficillima ſolutionis; neque creditor à debitore nummum unum, niſi ſumma vi ſummoque labore, poteſt exigere. Itaque tota eſt Italia fides anguſtior. Sed his omiſſis, inveniendus eſt titulus aliquis, quem libro Exemplorum, quem inſtitui ad te mittere, præfigamus: ac vellem eum maxime, qui eſſet ſpecioſus, quique legendi curioſitatem excitaret. Hunc ego laborem, niſi ſi ſim nimis audax, velim à te ſuſcipi, qui ita ingenii judiciique acumine præſtas. Quæſo, da hoc meo in te amori atque obſervantiæ. Romæ, Idibus Maji CIↃIↃCXLIII.

XXVIII.

Clariſſimo ſapientiſſimoque viro,

T Y R R H E N O.

QVid ais nunc jam? Nonne tibi morem gero? nonne tuis imperatis, pluſquam opus eſt, ſervio? Poteriſne amplius accuſare me inertiæ vel negligentiæ? audebiſne queri, me raro vel nunquam ad te literas dare? Iam diu factum eſt, poſtquam nullam ad te ſcribendi occaſionem abire vacuam ſino. Et quo mihi ſcribendi facultas non deeſſet, hæc fuit cauſa, ut ſtatuerem, ad te mittere, quæ notatione ac memoria digna collegiſſem; unde, qui legerint, aliquid, ipſis quod ex uſu ſit, vel ad vitam recte inſtituendam proſit, arripiant. Iam credo, multitudine literarum mearum, tui te conſilii pœniteat, ac tibi veniſſe in mentem pigeat, ad me ſcribere,

quod nihil ad te ſcriberem; jam te, arbitror, mei meարumque literarum odium cepiſſe; jam te opinor, faſtidio & ſatietate à me abalienatum, dicere, Ohe jam ſatis eſt, ohe jam deſine. Sed ſtudium & aſſiduitatem in ſcribendo meam tantiſper ſuffer, dum opus, quod cœpi per partes mittere, totum ad te perveniat; tum mihi præſcribe, quando & quantum me velis ſcribere. Etenim ne latum quidem unguem à tuarum legum præſcripto recedam. Id quoque, quod tibi, Bartoldo Nihuſio eveniſſe exiſtimo, ut me meaſque literas faſtidiat & oderit; tam crebras, tam longas, ad eum miſi. Sed hoc humanitati ſuæ adſcribat, qua me complecti videtur; cujus in me voluntati non poſſum, niſi multis verbis, gratias agere. At ſi quæras, quemadmodum ego me habeam, reſpondebo, Recte, pulcre, baſilice. Ac ſi pergas exquirere cauſam, Quia, inquam, Regum fortunas videor eſſe adeptus. Vbi enim regalis amplitudo ac dignitas magis elucet, quam in armatorum præſidio, quo domus regia munitur? ubi diſpoſiti milites vigilias agunt, atque aliis alii ſuccedunt. Domui iſtuc meæ contingit; ad quam, ex cohortibus quæ ſunt in Vrbe, milites quotidie plures, cuſtodiæ cauſa, mittuntur, ut, lanceis & ſclopis majoribus armati, ſuos, qui fugam adornant, ad cœnobium proximum non ſinant accedere; unde, munitionibus nondum perfectis, latus ad exeundum ex Vrbe abitus patet. Itaque præ foribus domus meæ, unde neceſſario tranſeundum eſt, quibus conſilium eſt fugere, ſedent, vel fuſi, ut eſt illorum mos, jacent, lanceas & ſclopos parieti commendant, diſcedenti mihi ac redeunti omnes aſſurgunt, decedunt, honorem & ſalutem impertiunt; ut, qui videat, & cauſam ignoret, honoris mei gratia illis meam domum cuſtodiis aſſervari, vel ſtrenui cujuſpiam ducis illud eſſe domicilium, exiſtimet. At ego, Regnum obtinere, & exercitibus imperare me, fingo, ac magnifice circumſpicio. Sed vix clamor ac ſtrepitus, quo illi inter ſe litigant, vel cantant, vel ſaltant, vel omnibus verborum contumeliis ſe invicem vexant ac lacerant, ita ut meis non liceat dare operam ſtudiis, mihi venit ad aures; cum me Regni illius pœnitet, illudque libenter

ter deponerem, ſi poſſem. Verum id ludus jocuſque eſt, præ latratibus ulutatibuſque canum ad triginta, quos in ædibus, quæ contiguæ meis, alit homo dives ac gratioſus: qui latratus ululatuſque, cum non magis in aures quam in viſcera mihi atque in animum penetrent, tum, non Regem me amplius, militum cuſtodia ſtipatum, regali in ſolio ſedere, ſed damnatorum ſedes, horrendis illorum vocibus percrepantes, incolere arbitror. Sed quid faciam? Ferendum eſt. Plus poteſt; & homini, in venationibus occupato, non minus multis opus eſt canibus. Nunc ædificat, altius ædes tollit; jamque in eam altitudinem perductum eſt opus, ut meæ illi ædes longiſſimo intervallo ſubſideant, & tanquam potentiori cedant, faſtigiumque ſummittant. Vale. Romæ, V Kal. Iunii CIↃ IↃ CXLIII.

XXIX.

Clariſſimo atque omnibus in rebus præcellentiſſimo viro,

TYRRHENO.

NVper eſt ad nos allatum de morte omnium fere ſæculorum clariſſimi nobiliſſimique Regis Galliarum, Ludovici XIII. eaque multorum jam literis & nunciis ita confirmatur, ut de ea dubitare non liceat; quamquam Regius apud Pontificem max. orator, rogatus, reſpondeat, id ſibi non liquere; quod nullorum literis ea de re certior ſit factus. Interea, credo, quo adeuntium ſe moleſtiis eripiat, receſſit in villam Farneſiorum, quæ excelſo, amœno, & ab arbitris remoto loco, pratis Neronianis imminet. Atque eſſet maxime optandum, Regem illum clariſſimum potentiſſimumque, diem non obiiſſe ſupremum. Sed quid, inquam, potentiſſimum? Quænam eſt iſta potentia, quæ non potuit, paucorum, menſium an dierum? morbo reſiſtere, atque ab eodem ſit victa? O fallaces hominum ſpes! ô inanes noſtras contentiones! Potuit ille quidem ingentes hoſtium exercitus fundere, potuit urbes expugnare, arces ſitu manuque

nuq; munitas capere; potuit Regum finitimorum regna ſuæ ditioni ſubjicere,atq; imperii fines late proferre: ſed morbi vim ferre,ſed morti par eſſe,non potuit. Vt volat ætas! ut fluunt anni! Hic Rex, me vivo,eſt natus ac mortuus. Heri, ſed quid inquam heri? nuper modo audiviſſe videor,Henrico IV ex Maria Medicea natum eſſe filium. Atq; in hoc Rege illud Iacobi præſertim uſurpare licet, *Quæ eſt enim vita noſtra? vapor eſt, ad modicũ parens;& deinceps exterminabitur.* Nam vix ille,quaſi fulgur, illuxit, cum extinctus evanuit. Quod ſi,tam anguſtũ in gyrum, Regum maximorũ fortuna compellitur, jam nihil eam moror: ſi Regum eorundem majeſtas amplitudoque in vermes ac ſaniem recidit,etiam exhorreo. Nam audio, Regis corpus, cum exenteraretur, plenum vermibus fuiſſe repertum. Valeant igitur Regum opes atque divitiæ; quærantur eæ, quæ magis ſint propriæ, neque paucorum annorum ambitu contineantur. Vix annus integer unus exceſſit, cum tria Galliæ clariſſima extincta ſunt lumina; primum, cui tu morienti adfuiſti, fœmina præſtantiſſima, Henrici Regis, de cujus laudibus nulla unquam conticeſcet ætas, conjux glorioſiſſima, in cujus capite diadema regium,auro gemmiſq;diſtinctum, effulſerat, quæ Regnum ampliſſimum atque omnium maximum Regina, ſummo cum imperio ac poteſtate, adminiſtraverat;ſed quæ deinde, ut ſunt rerum viciſſitudines, exul, ejecta, opis aliorum indigens, coacta eſt regiones ſubinde mutare, ac modo Belgas, modo Anglos, modo Germanos adire, jam ut nullus toto orbe terrarum locus inveniretur, ubi illa poſſet conſiſtere: tum Cardinalis Richelii ſecuta mors eſt, quem omnes, propter præſtantem vim animi atque ingenii admirabantur, qui tanquam in puppi ſedens, Galliæ Regni navis clavũ tenebat,qui Regi imperabat,cujus ad nutum & ad voluntatem omnia fiebant, qui eam ſibi vim auri argentique paraverat, ut ad vicies decies centena aureorum millia perveniſſe dicatur, neque ex tantis divitiis teruncium unum ſecum potuit afferre:poſtremo,majores denſioreſque Galliæ, atque adeo terræ totius orbi, tenebras attulit, clariſſimi omnis fere memoriæ Regis, tanquam ſolis, occaſus. Quis ergo, cui cor ſapiat, iſto modo

Rex,

Rex, iſto modo dives, fieri appetat? quis theſauris tam fluxis tamque caducis poſtmodum inhiet? Et tamen hodie non deſunt, qui, theſauri vana ſpe ducti, caput ſuum ad incertos caſus objiciunt. Proximis diebus, riſu digna res accidit; quam, non poſſum, quin ad te ſcribam. Eſt Romæ forum, in quod, cum eſſes Romæ, non parum ſæpe veniſſe te arbitror, ubi olitores, lanii, fartores, cupedinarii, pomariique habitant plures, Scrofa nomine, à ſcrofa marmorea, verſuræ cujuſdam domus hærente, ſic appellatum. Illuc noctu quidam veniunt, cum operis, vectibus, ac vehiculis; ac ſignum illud evertere ac demoliri conantur. Quo ſtrepitu excitata vicinitas, ad feneſtras accurrit. Quæ, cum videret homines operi intentos, arbitrata eſt, eos eſſe parietum perfoſſores; & clamore ſublato, fures, fures, exclamat. Ad quam illi vocem exterriti, protinus in pedes ſeſe conjiciunt. Revertuntur poſtera nocte; ſed eodem modo ejiciuntur fugantur que. At operarum illarum conductor, qui erat Gallus quidam theſaurorum indagator & effoſſor, cum videret, ſe nihil clam poſſe proficere, palam Cameræ Apoſtolicæ Commiſſarium, quem vocant, adit; quærit ab eo, quid velit ſibi dare, ſi locum commonſtret, unde ingens theſaurus erui poſſit. Qui, ne longum faciam, quartam ejus, quod inventum eſſet, partem Gallo promiſit. Odorati ſunt iſtuc quidam, ex Porcariis, nobili ac vetere familia homines, ad quos ea porca pertinebat. Qui ſtatim demoliendam eam, ſuamque in domum exportandam locarunt. Quod ubi Gallus accepit, ex ægritudine in morbum incidit: ac nihil propius eſſet factum, quam ut ex eo moreretur; niſi Commiſſarius, & utilitatis ſuæ gratia, & ut fidem cum Gallo ſervaret, proſpexiſſet. Nam ſcrofam referri, & certo in loco aſſervari juſſit. Atque in eo res eſt, ut ferri cujuſpiam acumine tentetur, num quid ea intus habeat incluſum. Sed theſaurus erunt carbones. Illud vero ridiculum, quod, cum Gallus malleo, ſcrofæ latus, percuſſiſſet, illudque reſonare viſum eſſet, Audite, inquit, ut reſonat! ergo ſcrofa intus eſt vacua; ergo aurum continet. O ſtultum! o bardum! Profecto non plus ſapis, quam lapis ille. Quis unquam concluſit hoc modo, Quia hæc nimirũ inanis res eſt, ergo intus aliquid habet? Immo

quia

quia vacua eſt, illud ſit conſequens, inaniis araneis eam eſſe oppletam. Sed ego te nimis obtundo. Vale. Romæ, III Non. Iunii CIↃ IↃ CXLIII.

XXX.

Clariſſimo humaniſſimoque domino,

TYRRHENO.

ECquando mihi, Tyrrhene clariſſime, tribuet Deus, ut tibi, pariter pro meritis, referre gratiam poſſim? Sed quid, inquam, referre, cum id fas eſſe non ducam? Ecquando continget, ut iis ſaltem tibi verbis gratias agam, ut ii qui audiunt, quantum tibi debeam, perinde intelligant, quemadmodum ipſe cogitans ſentio? Tua cauſa factum eſt, ut meum in Vrbe nomen pluribus ſit notius, quam antea erat. Nemo enim eſt, vel honore ac dignitate aliqua præditus, nemo vir doctus, vel ſaltem literis tinctus, qui Pinacothecam, operam te plurimum dante, ſeu honeſte de me ſentiente, non habuerit, legerit, laudaverit. Ac ſummus ipſe Pont. ea in legendo ſe voluptate perfundi ſignificavit, ut, in Zoilo, multiſque in aliis, quos olim amicitia uſuque comprehenſos habuerat, ridiculos ſane homines atque facetos, quo poſſet quam effuſiſſimos riſus efferre, ab oculis conſpicilia, ne caderent, ſibi ſæpe detraxerit. Itaque, cum per Vrbem incedo, multorum, quos non alias me vidiſſe memini, gratulationibus excipior: alii domum ad me, ſalutandi gratia, veniunt: alii meam ſibi amicitiam ultro expetitum accedunt. Quocirca, qui meo antea ingenio nihil tribuebam, qui me nullius eſſe precii deputabam, nunc mihi eſſe aliquid videor, nunc facultati meæ precium aliquod ſtatuere pene compellor. Et ſane, ſi inani gloriola ducerer, ſi exiſtimarem, id meo libro, ſermonis elegantia, ac verborum ſententiarumque ſplendore, non autem ex tui nominis claritate contingere; facile me aliquo laudis æſtu abripi ſinerem. Sed, cum mihi pulcre

pulcre ſim conſcius, quidquid meum opus, cæteroqui obſcurum ac leve, ſplendoris ac luminis habeat, id totum à tuis apud alios prædicationibus corripere, cupiditatis meæ vela contraho, neque ea flatui, qui ſeſe dat, pando. Præterea, non me fugit, hiſtoriæ eam vim eſſe, ut, quovis ea modo tractetur, legentes audienteſque detineat. Quid mirum eſt igitur, ſi in eorum quaſi imaginibus, delectati ſint homines, quorum mores rudi oratione, tanquam penicillo, deſcripſerim? præſertim, cum eorum aliquos notitia perceptos, aliquos etiam amicitia conjunctos habuerint. Verum, utut ſeſe res habeat, quidquid à meo mihi libello laudis provenerit, totum humanitati tuæ acceptum refero, maximaſque tibi gratias ago habeoque. Si de bello ſcire expetis, horret animus ſcribere. Nam, ſpe pacis excluſa, malorum montes, miſeræ Italiæ atque Vrbi impendere video. Fœderati adverſus nos Principes, oratores ad Pontificem ſuos revocarunt; armati, cædem, vaſtitatem, exitium, quocunque venerint, minitantur: atque aliquot equitum illorum turmæ, multa cum noſtris prælia committunt: utrum ſecundo eventu, an ſecus, non audeo ſcribere; quia adhuc certi nihil affertur. Vtinam Deus, peccatis noſtris infenſus, tandem aliquando illorum obliviſcatur, iram ponat, ac tot tantiſque malis, quæ, volucris cujuſdam inſtar, cœperunt late curſum extendere, ne longius progrediantur, tanquam alas evellat. Equidem angor animi, cum cogito, Italiam, quæ ſola, ex omnibus orbis terræ partibus, in ſummo ocio & tranquillitate vivebat, nunc Principum ſuorum animis in ipſius perniciem converſis, eidemque diſcordiarum faces ſubjicientibus, ardere bello; cujus belli incendium, non aliter, niſi ipſius ruina, opprimatur. Plura ſcribere prohibet dolor. Vale. Romæ, Idibus Iunii CIↃ IↃ CXLIII.

XXXI. Cla-

XXXI.

Clariſſimo doctiſſimoque viro,

TYRRHENO.

QVos Pinacotheca noſtra ſucceſſus hic Romæ habuerit, quodq; fuerit de ea eruditorum fere omnium judicium, ſatis ſuperioribus meis ad te literis ſcripſi; & fortaſſe nimis elate tumideque omnia narravi. Itaque non repetam; ne videar imitari militem glorioſum, cujus omnis eſt de ſuis laudibus oratio. Lucas Holſtenius miris etiam laudibus extulit; mihique amantiſſimis verbis gratulatus eſt laudem, quam apud omnes, ut ajebat, meruiſſem. Magno eſt apud ſuum Principem in amore & gratia; interioribus ejus conſiliis adeſt; & ſæpe in eadem cum ipſo rheda conſpicitur. Neque Philoſophiam, neque Græcas literas, in Gymnaſio Romano docet, ſed locuplete ſacerdotio, in Baſilica Vaticana, præditus, ſumma illud cum diligentiæ ac ſolicitudinis laude adminiſtrat. Nam cum poſſit, ſummi Pont. privilegio, laborem veniendi in Eccleſiam, & cetera, quæ ſunt ejus muneris, exequendi, lucri facere, nec quidquam ex nummis deperdere, qui diſtribuuntur, in viros, præſentibus, nulla tamen in re patitur deſiderari à ſe præſentiam atque operam ſuam. Scribis, iſtuc perveniſſe Dialogos; ac jure quereris, nec eleganter, nec nitide, nec emendate fuiſſe impreſſos. Et ſane, vir doctiſſimus Nihuſius rem humanitate ſua digniſſimam faceret, ſi eos in Belgio rurſus imprimendos curaret. Quibus poſſet addere alios duos, nomini inſcriptos ſuo; quos ad eum miſi. Quam vellem, epiſtolis meis contingeret, ut elegantiſſimis illis typis impreſſæ cernerentur! Multa ſunt in eis ſcripta lepide, multa graviter, multa facete, quæ lectorem poſſent vel delectare vel juvare. Eas ſecum attulit Naudæus: at ſi cupiditati huic meæ commoda ſpes aliqua, tanquam benignum aliquod ſidus, affulgeret, ſcriberem ad illum, ut eas ad me quamprimum mittendas referendaſque curaret. Gaudeo vehementer, in veterem te optimæ valetudinis ſtatum fuiſſe

fuiſſe revocatum, jamque viribus plane recuperatis, ex domeſticis parietibus, tanquam è tenebris, foras in lucem exire, rheda per urbem vehi, ad amicorum ædes, ſalutandi eos gratia, venire: ac Deum rogo, qui te, ſuperiore anno, acerbiſſimis illis doloribus ſatis habuit exercitum, ut tantum tibi bonum velit eſſe perpetuum. Oris tui, venerabilis cujuſdam venuſtatis elegantiæque referti, imaginem, à te miſſam, accepi: de qua maximas tibi gratias ago. Et ſane digna eſt, cui omnes illos honores, clarorum virorum imaginibus haberi ſolitos, adhibeam: ut nimirum roſis violiſque, omnique florum genere, perpetuo eam coronandam excolendamque procurem. Scripſi, tuo mandato, ad eruditiſſimum virum Puteanum, jam ex eo tempore mihi fama notiſſimum, quo tempore Iuſto Lipſio in docendo ſucceſſit. Legi etiam doctiſſimos libros, ab eo editos. Cui ſi quid de me ſpopondiſti, dependendum tibi erit. Novi enim humanitatem tuam, novi ardorem animi, quo ſervis & amicis tuis faves, mihi præſertim, quem amandum ornandumque ſuſcepiſti. In qua voluntate ut perſeveres, te etiam atque etiam rogo. Romæ, IV Idus Iunii CIƆIƆCXLIII.

XXXII.

Omni humanitatis omniumque elegantium literarum genere excultiſſimo viro,

TYRRHENO.

QVaternio, qui proxime ad te mittitur, neſcio quo caſu aberravit à ceteris. Quæſo te, ut mandes cuipiam è tuis, ut eum in ordinem redigat, & locum, quem amiſerat, obtinere procuret. Credo, jam mearum epiſtolarum tædeat; jam te arbitror ſcriptorum meorum, vel ineptiarum potius, ſatietatem faſtidiumque cepiſſe; jam hinc audire te arbitror, me tuam moleſtiam, tuum odium, tuam peſtem appellare; ac fortaſſe millies diei illi male precaris, quo die tibi venit in mentem, ad me ſcribere, ut ſæpius ad te literas darem. Sed humanitati tuæ culpam aſſigna, quæ, gratiæ ſcilicet cauſa, ſe largius in

eum effudit, qui modo continere ſe nequeat, ſed longius progrediatur, & urbanitatis modeſtiæque fines excedat. Expectatur Romæ Octavius Piccolomineus, popularis tuus, ac fortaſſe etiam vel cognatus vel affinis; ille, inquam, Piccolomineus, qui in Germania ſimul rem & gloriam, armis belli, tantam reperit, ut nullus ſit in toto orbe terrarum locus, vel tam disjunctus vel tam remotus, quo non ejus nominis fama pervaſerit. Dicitur excepturus eum hoſpitio, apparatu ferme regio, Card. Sacchettus. Expectatur ab omnibus vehementer; qui os illud laudabile & honeſtum videre cupiunt; quem, tam ſæpe audierint, tot ſecunda prælia feciſſe, tot hoſtium copias profligaſſe, tot urbes manu cepiſſe. Atque arbitror, cum auditum fuerit, eum ad Vrbem adventare, univerſam hanc civitatem, prope ex ſuis ſedibus evulſam, obviam illi ituram. Tantum eidem amoris benevolentiæque concitavit, in hominum animis, virtutis ſplendor ac gloriæ. Et ſane eſt, quod plurimum veſtra illi patria debeat, quæ nunc, eo præſertim nomine, omnium linguis ac literis celebratur, quod talem ex ſe civem genuerit, cui nemo hodie, bellicæ virtutis laudibus, anteferatur. Cui patriæ ego quoque faveo, cum in ea Germanico Ptolemæo, viro primario, nupta fuerit, ibique diem ſuum, obierit ſoror mea germana. Atqui, ſi talis nobis dux in eo, in quo nunc premimur, bello contingeret; profecto, qui illud nobis habent indictum, profligati atque deleti, tam præcipitis ſui conſilii pœnas darent; qui, ut privatas injurias, ſi quæ tamen ipſis factæ ſunt, perſequantur, converſis in Eccleſiæ Romanæ viſcera armis, ejuſdem patrimonium, cujus tutores fideles eſſe deberent, ipſi diripiunt. Vbi pietas? ubi Dei immortalis metus? Ecquando audivimus vel legimus, Chriſtianos Principes univerſos contra Eccleſiam conjuraſſe, ſervos contra dominum, filios contra parentem? Quæ jam propagandæ religionis ratio relinquitur, cum ea ibi, unde tanquam à capite diffundi in omnes orbis terræ regiones oporteat, quaſi exaruiſſe videatur? Illud vero, quod nunciatur nobis, execrabile atque horrendum, quod, cum Mutinæ indulgentiæ quædam eſſent promulgandæ, atque uſitatum illud eſſet appoſitum

poſitum, ut pro matris Eccleſiæ exaltatione ad Deum preces effunderentur, quidam qui ibi erat, (ſi vera ſunt, quæ dicuntur,) cum imperio juſſit illud quantum poteſt, removeri, quod precationem illam diceret, fœderatis Principibus eſſe contrariam, qui ad Eccleſiam opprimendam arma conferrent. Et, quod dolorem in primis auget, illud eſt, quod ita omnia turbata atque permiſta eſſe cernuntur, ut, quinam ſit futurus tantorum malorum finis, vix quiſquam conjectura aſſequi poſſit. Summa atque præſenti Dei ope auxilioque opus eſt nobis; quod niſi præſto ſit, intelligimus, omnia ad extremum caſum eſſe ventura. Vale. Romæ, VI Kal. Iul. CIϽIϽCXLIII.

XXXIII.

Clariſſimo doctiſſimoque viro,

TYRRHENO.

VEreor, ut meæ ad te literæ perferantur. Nam duobus ferme ab hinc menſibus hebdomadem nullam prætermiſi, quin aliquas dederim. Neque dubium eſt, quin, ſi eæ tibi fuiſſent redditæ, tu, vir in his officiis perſequendis diligentiſſimus, unis ſaltem earum, reſponſum aliquod dediſſes; præſertim, cum earum nullæ non aliquot Exemplorum quaterniones adjunctos habuerint, quos nollem antea interiiſſe, quam tuis ſeſe oculis ſubjeciſſent. Verum; quæcunque eos fortuna vel caſus exceperit, in eandem ceteri, qui apud me reliqui ſunt, aleam eunt. Accepi à quodam, qui ſe vidiſſe affirmat, fuiſſe Romam miſſa tria Eudemiæ exempla, denuo, cum auctario duorum librorum, qui deſiderabantur, in Belgio impreſſæ. Hunc ego librum, ob locorum propinquitatem, celerius quam ad nos, perveniſſe iſtuc arbitror, jamque palam omnibus eſſe venalem. Nobis ab amœnioribus his libris animum avocat belli gravitas atque acerbitas, quod infertur à Sedis Apoſtolicæ hoſtibus. Quamquam ſe appellari nolint hoc nomine: de quo quid ad te ſcribam, non habeo; nam certi quidquam ſciri non poteſt. Illud vere tibi poſſe affirmare videor, plena eſſe omnia timoris, ac, niſi nos Deus reſpiciat, magnam Eccleſiæ

Rom. oppidis, atque in primis Vrbi Romæ cladem inſtare. Tanta, in fœderatis Principibus, adverſus eam conſenſio atque ardor inſpicitur. Principis Etruſci triremes ante Tiberis oſtia navigant; quidquid illis occurrit, deprædantur; vinum, frumentum, ſalſa muriatica, aliaque ad vitæ uſum neceſſaria, quæ à mercatoribus Romam advehuntur; ſuos quoque piſcatoribus lembos adimunt: itaque magnam Neptuni pecudum caritatem, vel potius nullam earum copiam, fore nobis hoc anno, omnes exiſtimant. Ideoque neceſſe erit, quibus diebus de more jejunium indicitur, cœnam aſperam atque terreſtrem inire; niſi forte Tiberis, ac vicini Vrbi lacus ac rivuli paucos, minutos, & inſuaves gutturi piſces ſuppeditaverint. Bellatores noſtri nihil ferme adhuc egregium ac magnum ex ſe dedere. Nam ſi ſecundæ, de illorum præliis, res eſſent, continuo per ora omnium tota Vrbe circumferrentur. Illud potius ad nos perfertur, quodcunque illi amicorum in oppidum veniunt, tanquam ſi hoſtes eſſent, ſtatim illud diripere, cædem hominum facere, pecus abigere, agros vaſtare; atque alia flagitia, contra jus faſque, committere. Quæ, quamquam nemini ſit dubium, invitis atque etiam inſciis iis qui Remp. adminiſtrant fieri, tamen cum rerum ſtatum, in quo verſamur, nobis ante oculos ſtatuant, ſine dolore audiri commemorarique non poſſunt. Quid aliud dicam, neſcio; niſi, adveniſſe tempus, quo peccatorum noſtrorum pœnas luamus. Vale. Romæ, Kalend. Iulii CIↃ IↃ CXLIII.

XXXIV.

Clariſſimo doctiſſimoque viro,

T Y R R H E N O.

NE tibi mirum videatur, ſi breves hæ tibi à me literæ veniant. Iam pridem enim tuæ, quæ longiſſimarum mihi epiſtolarum argumenta præberent, conticuerunt. Quod qua ratione ſit factum, ſatis percipere nequeo. In tanta argumenti inopia, ad te ſcribendi occaſionem ſumerem ex bello, quod, cum magna totius

Chriſtiani

Chriſtiani orbis offenſione, à Principibus, Eccleſiæ Romanæ infertur: ſed certi nihil, quod affirmare audeam, ſuppetit; ita incerta & ex cujuſque libidine ficta ad nos omnia perferuntur: quædam vero pauca, quæ dubitationis nihil habeant, ſunt ejuſmodi, ut ſine lacrimis audiri non queant. Quam eſſet optandum, ut mendacio niterentur, quæ modo ſunt nobis allata! primum, de Venetum claſſe, quæ ad portum Cæſenaticum appulit, & claſſiariis, qui in terram egreſſi, oppidanos, omnia magis quam prælium expectantes, aggreſſi, oppidum illorum ceperunt, diripuerunt, inflammarunt: deinde, de magni Ducis exercitu, qui Caſtilionum, loci natura egregie munitum, obtinuit. Exercitus noſter, in agro Peruſino, idoneo caſtris loco delecto, iis ſe continet, neque hoſtem prælio laceſſit; interim loca amœniſſima ac fertiliſſima, arboribus cæſis, vitibus amputatis, ædificiis corruptis ac pene dirutis, ita fœda atque horrida reddidit, ut prata colleſque, qui antea nitidi cultique ridere, & ſuas jactare opes, conſueverant, nunc ſqualore ſituque horridi, lugere, ſibique inflicta ab iis, à quibus conſervari deberent, vulnera demonſtrare ac lamentari videantur. Eadem, atque etiam major, à noſtris agro Ferrarienſi ac Bononienſi calamitas accidit; quos, eorum duces, vel quia aliter fieri non poſſit, vel ut eos ſibi obnoxios faciant, luxurioſe nimiſque liberaliter habent. Sed hæc hactenus. Heri, pridie Non. Iulii, duo notiſſimi homines morte extincti ſubita ſunt; nobilis quidam Gallus, Bulgarinus, qui erat Pontifici Max. ni fallor, à ſupplicibus libellis referendis,& alia publica munera adminiſtrabat; ac ſummo vir ingenio, ſingulari eruditione, ac præſtanti doctrina, Lælius Guidiccionus, quicum tibi, homini perfecto in literis, ac literatorum omnium ſtudioſo, uſum amicitiamque fuiſſe, non dubito. Magnum profecto, improviſo ejus interitu, damnum elegantiſſimarum artium ſtudia fecerunt. Et quamquam tibi mihique, quibus ob ſingulares ejus virtutes erat unice carus, mors ejuſdem luctui ſit, tamen non immodicam debet perturbationem afferre. Satis jam ſatis nota nobis eſt humanæ vitæ condicio. Non enim ea donata nobis eſt à Deo, ſed credita: quam, cum vult, repetit. Immo, ſi

mo, ſi ex Iulii Cæſaris ſententia, finis vitæ repentinus inopinatuſque præferendus eſt lento tardoque, eſt quod illi magnopere gratulemur, qui, celeri ac ſubita morte, moleſtiſſimis, quas longa ægritudo habet, incommodis atque doloribus ſeſe ſubtraxit: præſertim cum ille optimo vitæ genere, ac ſanctiſſimis moribus, quibus erat præditus, omnibus horis, ad mortem æquo animo obeundam, ſe eſſe paratum oſtenderet. Tu vero, valetudine tua ſtudioſe diligenterque curanda, te nobis quam diutiſſime incolumem ſerva. Romæ, VIII Idus Iulii CIↃIↃCXLIII.

XXXV.

Clariſſimo, omniumque virtutum laude præſtantiſſimo viro,

TYRRHENO.

SI meis ad te literis recreari te ac refici dicis, ego viciſſim, tuis reddi mihi animam, ſentio. Ita ſunt lepidæ, elegantes, venuſtæ; ita redundant humanitate, benevolentia, amore. Illuſtriſſimi Chiſii narrationem de puella Sicula, à te mihi miſſam, ſumma legi cum voluptate, ac totidem plane verbis in meum librum tranſtuli; neque quidquam ſum illi auſus addere vel demere; quis enim ſperet, ſe poſſe nitidius, limatius, elegantius, & ornatius dicere? Afficio illam injuria, quod meis illepidis, invenuſtis, indiſertis narrationibus inſeram: verum hæc injuria, ea utilitate & commodo compenſatur, quod inter orationis meæ tenebras, clarius Chiſianæ ſplendor elucet. Reliquum eſt, quemadmodum ſuperioribus meis ad te literis ſcripſi, ut de ſpecioſo aliquo titulo, eidem præfigendo, cogitemus, qui hominum ad ſe ſtudia, legendi cupiditate, impellat. Peto à te, pro tua ſingulari humanitate, ut, in tuis maximis curis, aliquid impertias temporis huic quoque cogitationi. Nudius tertius, III Idus Iulii, habita ſunt Cardinalium Comitia, & quindecim numero in eum ordinem relati; quorum nomina, & inſignia, ab iis qui tua hic

negocia procurant, accipies. Spero, quamprimum fore, ut mihi liceat, hunc tibi honorem, tuis maximis in Remp. meritis debitum, gratulari. Varie, per omnem civitatem, lætitia, mæror, triſtitia, atque gaudium agitatur. Qui fuerunt cooptati, tum ipſi, tum eorum propinqui, amici, clientes, famuli, ſuos ad lætitiam animos excitant, atque onerant ſe hilaritate. Qui vero fuerunt præteriti, una cum iis, quos aliquo neceſſitudinis vinculo ſibi habent adjunctos, triſtantur, dolent, mœrent. Ego, quem ætas, voluntas, profeſſio, ab omni ambitione prorſus abſtraxit, mecum tacitus rideo, & tanquam in portu ſedens, iſtorum ſolicitudines, quaſi fluctus, quibus agitantur, aſpicio; neque ineptam hominum quorundam rationem ſatis mirari jam queo, qui tanta cupiditate ſtudioque ferantur in ea, quæ ventis ac flamma citius evolent, nec veſtigium aliquod ſui relinquant. Ipſe, mea ætate, Cardinalium collegium renovatum inſtauratumque decies vidi; neq; ex tam multis, qui deinceps adſcripti in hunc honeſtiſſimum ordinem fuerunt, quemquam meminimus, præter admodum paucos, quos ingenii ſui monumenta, omnis poſteritatis memoriæ commendarunt. Qui ideo ſunt illuſtres maxime, ac nobiles, quod literis doctrinaque floruerint. Itaque non eſt, neque cati neque ſapientis, cogitationes ſuas in iis rebus habere defixas, quæ neque diutius eſſe nobiſcum, neque propagare noſtri memoriam nominis poſſint. Deum ac cælum, propoſitum ac meditatum in perpetuum habeat oportet, qui ſolida, neque ullo unquam tempore interitura, deſiderat. Virtuti ac literarum ſtudiis det operam neceſſe eſt, qui aliquam in poſterum nominis ſui famam efflagitat. Sed jam videre te videor, ſtomacho & iracundia efferri, & loquacitatem meam oratione vultuque perterrere, qui, meis ad te literis, iis de rebus præcepta dare ſuſtineam, quibus tu onerare alios poſſis. Quamobrem ſcribendi finem facio. Vale. Romæ, Id. Iul. CIϽ IϽ CXLIII.

XXXVI.

Clariſſimo, omniſque elegantia doctrinæ inſtructiſſimo viro,

TYRRHENO.

IAm tibi mecum licet, non ut cum Rege vel Imperatore, agere; ſed cum privato, vel potius cum ſervo tuo, ut antea, loqui. Nam abrogatum eſt mihi imperium: nullæ militum cuſtodiæ domum meam obſervant; nullis ab armatis, domum veniens, excipior; nullas lanceas, nulla tormenta bellica, domus meæ parietes ſuſtinent; omnis ſuperbia, omnis faſtus abſceſſit; nullæ gloriandi, nullæ mihi, ſe aliis præponendi, cauſæ ſuperſunt; niſi illud juſtam gloriandi, meque magnifice circumſpiciendi, cauſam dicas afferre, quod mea domus inter binas duorum Cardinalium ædes includitur, & quod paulo ſupra, in Cœnobio, Cardinalis item alius commoratur, ut ſit novis Vrbis munitionibus, quibus præeſt, ipſe propinquior; quodque fulgore purpuræ circumquaque præſtinguor. At hoc, incommodo mihi potius ac ſervituti, quam honori & utilitati eſſe experior. Nam ſi quando huc illi ſe conferunt; non enim, præter unum, eorum quiſquam has ædes, quas dixi, perpetuo incolit, ſed ex intervallo habitat, quod ſint anguſtiores, quam ut Cardinalis unius familiam poſſint excipere: ſi quando, inquam, accedunt, eorum familiares atque pediſſequi omnia turbant ac miſcent; qui, dum domini deſcendant, expectant, perſtrepunt, clamant, alii domus meæ limen inferum occupant, ibi alea ludunt, velitantur inter ſe, conviciis expetunt, neque ſolum egredienti regredientique mihi non aſſurgunt, decedunt, caput detegunt, ſalutem impertiunt, verum etiam vix tantulum loci aperiunt, unde pedem domo poſſim efferre, & ad mea negocia progredi. Interea canum ululatus latratuſque non intermittuntur: qui canes, modo binis, modo ternis, modo ſenis choris, horribiles ſonos edentes, meditanti mihi impias inferorum ſedes, damnatorum fletus & ſtri-

& ſtridores dentium referunt. Credideram, novæ dignitatis acceſſionem, omnem ejus, de quo ſæpius queſtus ſum, ab animo venandi cupiditatem & ſtudium ejeciſſe; ſed, ex canibus qui etiam nunc aluntur, facilis eſt conjectura, hac eum adhuc cupiditate teneri. Sed nimis quidem ſum progreſſus. jam vereor, ne illud mihi objiciatur, *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo; & tunc perſpicies ut educas feſtucam de oculo fatris tui.* quid tu? nullane habes vitia? immo alia, haud fortaſſe minora. Itaque capio vorſoriam, & ad alia me recipio. Inſcriptionem, quam Exemplorum libro præfigendam tradis, laudo; verum, & hanc, & quamcunque aliam, quæ tibi magis placuerit, utpote ab ingenio tuo partam, quo nihil præſtantius, nunquam potero non vehementer probare. Placet etiam exemplum, quaſi ſymbolum, à te, tanquam à conviva, collatum; ac ceteris addidi, meo illo rudi incultoque ſtylo, quoniam vetas me tui vel cujuſquam mentionem facere: nam ſi licuiſſet mihi, illud à te miſſum, dicere, non aliis niſi tuis elegantiſſimis verbis explicaſſem. Sed quoniam mihi narrantis perſona incumbit, conſilium fuit, ab aliis verba non mutuare, ſed propriis, quamvis deterioribus, uti,

—ne, ſi forte ſuas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula riſum.

Vale. Romæ, XIII Kal. Aug. CIↃ IↃ CXLIII.

XXXVII.

Doctiſſimo clariſſimoque viro,

TYRRHENO.

Conſtans eſt hic omnium ſermo, te Romam evocari, ut munus apprime honorificum geras. Qua fama mire ſum recreatus, quod nihil mihi poſt hac literarum præſidio, ad te oratione mea compellandum, futurum ſit opus, ſed præſens præſenti omnes animi mei ſenſus, & meum illud in primis ſingulare erga te ſtudium, non quoquo modo expreſſum in charta ſim explicaturus, ſed, coram adductum, tuis ipſemet oculis ſubjecturus. Summa inſuper affectus ſum animi voluptate, novi

tibi honoris acceſſione, ad ſummam amplitudinem aditum eſſe patefactum, ſi id, quod ſpero, eveniet. Quod duobus, qui deinceps eam provinciam adminiſtraverant, accidit; quos, proximis comitiis, in ampliſſimum ordinem cooptatos vidimus. Quamvis ſuperfluum exiſtimo, novis functionibus, tibi demandandis, induſtriæ tuæ, jam ſatis notæ atque perſpectæ, amplius periculum facere. Iam pridem enim, ſi ſit in Rep. bonis artibus locus, aſſecutus es, ut tibi ordo ille debeatur. Omnia ſunt in te, neque me amor fallit, quæ in homine, honori illi maturo, requiruntur. Mitto ea, quæ à nobis non pariuntur, ſed à natura, vel à majoribus tradita, accipiuntur; patriæ nimirum nobilitatem, ingenii præſtantiam, generis claritatem, opes, divitias. Nonne, ab ineunte ætate, omnia voluptatibus denegando, directum illud ad virtutem iter perſequendo, omnium liberalium artium ſtudiis operam dando, &, poſtquam ad Remp. acceſſiſti, labores pro ea plurimos ſuſcipiendo, dubia longiſſimarum peregrinationum itinera atque pericula non reformidando, ſed alacriter ineundo, commiſſa tibi munera, ſumma cum integritatis juſtitiæque laude, adminiſtrando, denique fide, probitate, induſtria, prudentia, promeritus es, bonorum omnium ſuffragio, qui ampliora iſta putant, quam quamvis mendacem inaniſſimi ſplendoris ſpeciem ac fumum, ut ea tibi virtutis inſignia deferantur, quæ forſan aliqui etiam ſine virtute adipiſcuntur? Et ſane haud optimo more inductum in Remp. eſt, ut interdum ſint, qui, ambitione vel gratia vel pecunia freti, ea præmia ereptum eant, quæ virtuti uni debentur. Hos ego ſoleo dicere, non honores, ſed honorum inſignia, fuiſſe conſecutos: ſiquidem ille verus eſt honor, qui cuipiam, probitate, atque opera probata, & maximis in Remp. meritis, ſummo eorum, qui recte ſentiunt, ſtudio & approbatione, defertur. Sed his omiſſis, quæ nihil ad me attinent; ut ad id, unde digreſſus ſum, redeam; geſtio præ lætitia, diem illum eſſe venturum, quo (niſi quid interea mihi humanitus accidat) te mihi licebit aſpicere, tuiſque ſapientiſſimis ſermonibus interdum animum paſcere, mentem formare, ac doctiſſimis præceptis imbuere. Neque me illud terret, quod eis, qui huic

eidem

eidem muneri, cui nunc tu præficeris, ſunt præpoſiti, tanta eſſe occupatio ſoleat, ut non multum, literarum ſtudiis & conſuetudini amicorum, ocii relinquatur. Nam ſpero, pro ea qua me benevolentia complecteris, ſubciſivi nonnihil temporis te eſſe mihi daturum, pro eoque, quo erga bonas literas ſtudio flagras, ocii aliquid inventurum, quo animum, negociorum occupatione diſtrictum, doctrina relaxare, atque ex forenſi ſtrepitu pene confectum reficere poſſis, teque præterea auribus, quando perpetuis plurimorum querelis clamoribuſque fuerint defeſſæ, requietem aliquam, mitibus amicorum colloquiis, eſſe allaturum. Interim Deum enixe rogabo, ut te, periculis omnibus, quæ à longis itineribus vix ſolent abeſſe, ereptum, ſalvum nobis & incolumem reddat. Vale. Romæ, VII Idus Aug. CIↃ IↃ CXLIII.

XXXVIII.

Clariſſimo ſapientiſſimoque viro,

TYRRHENO.

DEcem ferme ab hinc dies, acris atque moleſta me lippitudo invaſit, ac male habet. Cumque aliquid, poſt cibum præſertim, vel legere, vel ſcribere, vel etiam cogitare inſtituo; ea pituitæ vis ad oculos defluit, ut eiſdem pene lumen eripiat. Itaque, de medicorum ſententia, cogor avocare animum à literis, vel ſaltem tantiſper, dum ejuſmodi ægritudo abſcedat, paululum ex ſtudio detrahere. Ac Moonſius noſter, (ita ejus eſt benignitas,) quo ego oculis meis parcam, neque moleſtiæ plus quam habeant addam, errata graviora, nam levia prætermiſit, quæ, typographi incuria, in meos Dialogos irrepſerunt, colligendi emendandique partes ſponte ſuſcepit. Nunquam enim ita fuiſſem audax, ut hanc tali viro provinciam imponerem. Quos Dialogos rurſum, in Belgio, typis mandandos eſſe, eſt mihi gratum in primis: tibique, cujus honoris gratia hoc fiet, immortales gratias ago. Et quoniam aliquod illis additamentum quæris, reperi inter paginas, quas Vulcano deſtinaveram, tres alios, quorum mihi memoria penitus ex animo exciderat;

ciderat; quos ad te mitto. Vtinam dare poſſem illos etiam, duodecim numero, quos una cum epiſtolis, orationibus, ac verſibus, Naudæus ſecum attulit in Galliam. Sed, quod ad verſus attinet, poſſe arbitror, ex iis, quos poſt ejus ab Vrbe diſceſſum feci, breve aliquod corpus confici, & iſtic, ſi tibi videatur, imprimi. Sunt autem, primum Epiſtola Catharinæ Senenſis, ad Chriſtum ſponſum; quam dulciſſime tibi ſcriptam videri dixiſti: tum illa, quam anno ſuperiore, ſatis longam ad Epiſcopum Neritonenſem dedi, nec adhuc ſcire potui, tibi redditam fuiſſe, quod nullam, in tuis ad me literis, ejus mentionem facias: deinde illa, in qua Cardinali Cappono, pluribus verſibus, ejuſdem Nuncii Apoſtolici Chiſii laudes narro: accedunt aliæ duæ; una ad Silveſtrum Colliculam, medicum Pontificium, quam ſummus Pontifex, quem ipſemet noſti quam ſit elegans harum rerum æſtimator, lectam, ita probavit, ut mirum ſibi videri dixerit, id quod ego minime volo, me in Franciſci Cardinalis familiarium numero non inveniri; altera, ad nobiles pueros Accorambonos, referta omnibus iis præceptis, quibus ætas puerilis inſtitui ad mores optimos ſolet. Verum, de tota hac re tu ipſe ſtatuas velim; cujus auctoritatem non licet mihi defugere. Tui etiam juris volo eſſe, Exemplorum libro titulum, qui magis placeat, præfigere. Sunt etiam aliæ apud me quatuor, non illepidæ, narratiunculæ, à viro graviſſimo mihi traditæ; quas, oculorum morbo impeditus, adhuc non potui Latinas reddere: ſed proximis ad te literis venient. Decrevi, niſi tu aliter cenſeas, novam alteram Pinacothecam exſtruere, in quam eorum, qui prætermiſſi ſunt, quorum magnus eſt numerus, imagines referam. Video enim, hoc ſcriptorum genus vehementer omnibus probari; ac vix poteſt ejus, quam nuper edidimus, exemplorum haberi amplius copia, ob numerum emptorum, qui à mercatoribus arceſſitus in Vrbem confluxit. Vt vendibilem hanc eſſe mercem oporteat. nam proba merx, ut inquit ille, facile emptorem reperit, tametſi in abſtruſo ſita eſt. Sed antea abſolvendum eſt aliud opus quod tibi promiſi, ac jam ferme ad exitum perduxi; quo in opere, ex ſingulis Eüangelii capitibus, quæ
omnibus

omnibus totius anni Dominicis in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio leguntur, terna puncta excipio, moribus conformandis utilia. Sed, quod pene ſum oblitus, epiſtolæ, qua liber Exemplorum, quem non minus gratum omnibus fore confido quam Pinacothecam, Illuſtriſſimo Chiſio inſcribitur, nihil habeo quod addam vel detraham; nec, ſi maxime cupiam, poſſim; nullum enim ejuſdem apud me autographum, quod ais, retinui, quoniam deſcribendi ac relegendi, quæ ſcripſi, laboris impatiens, ipſamet ſoleo eorum exemplaria tradere: hinc fit, ut pluribus referta ſint mendis. Quamobrem etiam atq; etiam à te peto, ut ſi quid in ea epiſtola perperam ſcriptum invenias, pro tua ſingulari in me humanitate, corripias, caſtiges, auferas, quodque ſit aptius, reponas. Mittam oris mei imaginem, egregii delineatoris manu in pagella deſcriptam. Conabor etiam, cum aliquid aliud, tuo nomini dicatum, emittam, in epiſtola oſtendere, illud inſigne, quod vehementer mihi probari ſcripſi, iis omnibus refertum laudibus eſſe, quæ in inventionis genus conveniant. Nam librum ſcribere de Impreſis, quas vocant, ſupervacaneum duco. Sunt enim multi, qui de hoc eodem argumento docte eleganterque commentati ſunt. Vale. Romæ, VII Kal. Sept. CIϽ IϽ CXLIII.

XXXIX.

TYRRHENO,

V. C. ſapientiſſimoque.

Lippitudo, quæ me ſolicitat, non modo non decreſcit, ſed fit etiam moleſtior, quoties vel animum ad aliquid cogitandum inſtituo, vel oculos aut manus ad legendum vel ſcribendum adhibeo. Quamobrem non tibi mirum videatur, ſi poſthac vel rarius vel paucioribus verbis ad te ſcribam: nullus eſt mihi domi, cujus oculis ac manibus legam ac ſcribam. Habeo tamen huic morbo gratiam, quod non antea me invaſerit, quam librum Exemplorum abſolverem. Nam nullum mihi amplius occurrit, niſi frigidum, aut nugatorium, aut vul-

vulgare. Ideo ſcribendi finem faciam. Accepi iterum familiæ tuæ, in primis nobilis, inſignia, & ſymbolum, quo, apertum, nulliſque ſimulationis vel diſſimulationis involucris tectum, tum ſemper ſibi conſtantem animum tuum ſignificare conaris. Nam is hodie mos viget, ut tecti ac prudentis hominis famam obtineat, qui perplexa uti oratione ſciat; vel, ſi dicendum eſt apertius, qui lepide eleganterq; circumvenire in negocio aliquem norit, ut, cum aliquid cuiquam promiſerit, nec manere in eo quod promiſerit velit, ne fidem fallere videatur, aliquem in verbis receſſum ac latebram habeat, quo confugiat, neque ſatis, quod dictum eſſet, illum, cui promiſſa facta ſunt, intellexiſſe convincat. Quod hominum genus odi maxime, lingua factioſum, ut ait ille, iners opera, ſubleſta fide. Vt, ſi cum hominibus iſtis ſit vivendum, jam me Remp. non attigiſſe, minus pœniteat. Placet mihi etiam vehementer ſymbolum; quod, inſignis familiæ tuæ loco, in veſtibus ſacris uſurpas, Chriſtum crucifixum, cordi impreſſum, palmam inter & olivam, corona circundatum. Vtinam ille, exemplo tuo, cordi etiam meo perpetuo infixus inhæreat; utinã ſolus mea ſit pax, corona, atq; victoria; utinam, rebus omnibus humanis fluxis & caducis valere juſſis, tota illum mente complectar: nam abunde mihi erunt omnia cum eo. Legi Epiſcopi Neritonenſis noſtri carmen, in eandem fere ſententiam, elegantiſſimum, pleniſſimumque pietatis ac religionis, quod P. Benedicto Leodio miſiſti. Sed cum illud ſemel, iterum, ac ſæpius legiſſem, nec expleri ſatiarique poſſem, contigit idem mihi, Iano Nicio ſeni, quod olim Achilli, ſummæ ſpei puero, contigiſſe narratur: qui, cum Chironis in antro canentem Orpheum audiviſſet, *dictum ex hoc, lenire tigres, rapidoſque leones*, puerili quodam impetu, & egregio in Orpheum amore correptus, lyram arripuit, ad eamque cantoris præſtantiſſimi laudes, rudibus & inconditis verſibus, cecinit. Ita ego etiam, pari erga te amoris æſtu percitus incenſuſque, non potui me continere, quin verſibus, quibus jam diu abſtinui, præſtantiſſimum illum Antiſtitem Chiſium, ut poſſem, celebrarem; eorumque te compotem redderem. Ac velim, mihi quoque idem evenire,

re, quod Achilli; qui, quamvis aliis,qui audierant eum, ridiculus fuiſſet, Orpheo tamen, illius in ſe amore delectato, gratiſſimus extitit. Scio, me aliis, quibus meus in te amor & obſervantia nota non ſit,ineptum & inconcinnum viſum iri: at id mihi minus moleſtum erit, ſi tibi gratum, & non leve amoris in te mei argumentum, quodcunque à me prodierit, accidiſſe cognovero. Vale. Romæ, Kal. Septembr. CIↃ IↃ CXLIII.

Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo D. FABIO CHISIO, Epiſcopo Neritonenſi, & Sedis Apoſtolicæ apud Vbios Nuncio.

STemmata majorum, ſpecioſaque nomina patrum,
Quorum alius fulvo renitens ſe jactet in auro,
Frontem alius Tyrio prætendat murice vinctam,
Sitque alius tumidus fama & felicibus armis,
Quod magnis olim legionibus imperitarit,
Numine cæleſti doctus cum ſpernis & odis,
Iure mihi ſapiens, prudens, rectuſque videris.
Non fugit inſani ſpeciem, quem gloria mendax
Decipit, & tenuis fallax ſplendoris imago,
Vel, circum validis oneratum colla catenis,
Tradidit addictum vitiis damnoſa voluptas.
Macte animo, Chiſi; macte, inquam, ingentibus auſis,
Cujus tanta replet magnum ſapientia pectus,
Vt ſatagas, ſtultos inter, non ſtultus haberi.
Hæc ſedeat victrix alte ſententia menti,
Vt, præter Chriſtum, nullus te torqueat ignis.
Ille tibi ſit ſolus amor, ſit ſola voluptas,
Divitiæque, decus. non ſe tibi præferet ullus,
Non proprias jactabit opes, quas coꝯeret uſus,
Prærodetque vorax, annis properantibus, ætas.
Si Chriſtum teneas, veniunt ſimul omnia ſecum:
At ſi, quidquid arant Cilices quidque India mittit
Auri, poſſideas, ac regum ſorte beatus
Sub tua jura trahas totum, quod continet orbis,
Et Chriſto careas, fies jam vilior alga.
O te felicem, claudis ſi pectoris arce
Auctorem & dominum rerum cœlique potentem.

Non

Non illum extremi veniens tibi temporis hora,
Non vis hoſtilis rapiet, non prava libido
Fortunæ, repetentis opes, quas cæca miniſtrat.
Namque erit illa dies, tenebris adoperta capillos,
Cum cita mors veniet, tacitoque ſimillima furi;
Detrahet ac regum capiti, decora alta, tiaras,
Coget & indignos, oſtro gemmiſque ſuperbos,
Non bene commiſſos, triſtes, deponere honores;
Quæque, ſuum fraudans genium, comparſit avarus,
Dilaceranda gemens heredi tradet hianti.
Eja, age, ſit Chriſtus tua ſpes, tua maxima cura;
Sit pax, deliciæ, pugnarum palma, corona;
Vt tua promittunt lepidis nova carmina chartis.

XL.

Clariſſimo doctiſſimoque viro,

T Y R R H E N O.

MAgnas, ſingulares, ingentes Nihuſio, optimo viro; nec non omnium virtutum laudibus cumulatiſſimo Præſuli Chiſio, à quo illi ſum conciliatus; gratias habeo: qui Nihuſius tanta celeritate diligentiaque Dialogos meos, vix dignos, qui ſemel à vobis conſpiciantur, nedum legantur, imprimendos edendoſque curavit, ut antea Romam impreſſi redierint, quam, illuc eos perveniſſe, quiſquam ſuſpicari potuerit. Et ſane vereor, ne ii, quibus minus nota ſit hominis humanitas probitaſque, voluiſſe eum arbitrentur, quamplurimos inſcitiæ infantiæq; meæ teſtes hac ejus ſedulitate diligentiaque colligere. Nam multa eorum vitia, quæ, ſi jacere potuiſſent in tenebris, acutorum hominum aciem effugiſſent; nunc, iis in luce collocatis, etiam nolentibus, in oculos deſiguntur. Quæ ut ita ſint, ejus tamen mirifica in me voluntate mire delector, meque ab eo amari gaudeo; neque quidquam tam cupio, quam pari, atque adeo majori aliquo munere, memorem me illi probare. Præterea, quamquam, in hujus editione libelli, ingenii mei exiſtimatio non nihil agatur, hanc tamen exiſtimationis

tionis jacturam æquo animo feram, ſi argumenti gravitas, hominum offenſionem, in quam, ob jocorum, quibus fortaſſe nimium indulſimus, levitatem, incurrimus, obliterare aliqua ex parte potuerit. Symbolum, à te miſſum, fuit mihi gratiſſimum: & quamquam res ipſa, quam ita eleganter narras, multo mihi eſſet antea nota, non audebam tamen meum in librum eam referre, quod nullum ejus auctorem, præter rumorem, haberem: nunc, quoniam eam auctoritate & probatione tua niti video, jam nullus mihi dubitandi relictus eſt locus, quin ea ſit veriſſima, neque ab arguto aliquo homine, & ad jocandum in primis apto, joci cauſa, ad voluptatem aurium efficta. Cupio te Romæ, cum aliqua honoris acceſſione, quamprimum videre; quod brevi, quæ eſt hominum de te opinio ac ſermo, futurum exiſtimo. Et ſane neceſſe eſt, ut tua virtus, in hac luce orbis terrarum, editiori in loco poſita, ampliori præſit provinciæ. Bono igitur publico valetudinem tuam cura diligenter. Proinde medicatas iſtas aquas, quas rurſus tibi eſſe potandas dicis, laudo, immo neceſſarias duco, ſi renibus refrigerandis, novi ſemen calculi, ne iterum pullulet, poſſint elidere. Etenim vicinus quidam meus, cui, abhinc triennium, hac tam ancipiti ſectionis curatione calculus, ovi cujuſdam inſtar, extractus fuerat, nunc alterum, illi forma & magnitudine parem ſimilemque, contraxit; & quia jam ferme ſeptuaginta confecit annos, omni ex ſpe ſalutis deturbatus jacet; quam Deus à capite tuo peſtem avertat. Tu interim, ut inſtituiſti, me diligas velim. Vale. Romæ, XIII Kalendas Septemb. CIↃ IↃ CXLIII.

XLI.

Doctiſſimo ſapientiſſimoque viro,

TYRRHENO.

MAgna me cura & ſolicitudine afficit diſtillatio hæc, quæ tot jam dies meis negocium oculis exhibet. nondum enim aſſequi poſſum, ut exareſcat. Quamquam

in hoc mea culpa eſt aliqua, eaque non minima, qui ab iis rebus abſtinere me nequeo, quibus illa ſuſtentari ſolet ac creſcere; nimirum à ſolis lumine, ab aëre nocturno, & cibis quibuſdam, qui lippis plurimum nocere dicuntur. Sed quid ego, in recenſendis hujus ægritudinis cauſis atque fomentis, diutius immoror, cum vera atque præcipua ante oculos ſit, ac manu teneatur? nempe ſenectus; quæ cum advenit, his atque ſimilibus ad nos inſtructa malis accedit, immo ipſa per ſeſe nihil eſt aliud niſi morbus; cui qui conetur obſiſtere, perinde eſt, ut inquit Cato, ac ſi, more gigantum, cum Deo bella ſuſcipiat. Itaque naturæ, ut æquum eſt, cedo; & inſuper magnas Deo gratias ago habeoque, qui me ad id ætatis perduxit, quo pauci perveniunt; cum pleraque pars hominum, in medio vitæ ſpacio, ac non parum multi in ipſo aditu veſtibuloque, revocentur. Quod autem nunc ego ſenectutis, quoq; premor morbi, meminerim, inopia rerum, de quibus ſcriberem, fecit: non, quod non ſint plura, ac memoratu digniſſima: ſed ea ſunt ejuſmodi, ut literis tuto committi non poſſint. Nam ſuperfluum duco ac non neceſſarium, ſcribere de Principe Caſimiro, Regis Poloniæ fratre, qui Societati Ieſu nomen dedit; quoniam hæc res, tam nova tamque admirabilis, notior eſt vobis, quam nobis, qui abſumus à regionibus illis, ubi tantum ille aggreſſus eſt facinus, multo, quam vos, longius. Hic jam Romam pervenit, ac nudius tertius, ab Æde, nomini Ieſu ſacra, in Vaticanum, ad Pont. Max. ſe contulit; non rheda vectus, ſed pedes, non regali habitu, ſed ſimplici & obtrita veſte, ut eſt mos novitiorum ejus Societatis, indutus; non alio comitatu inſtructus, niſi fraterculo uno, qui eidem incedebat ad dexteram. Exceptus eſt à ſummo Pont. perquam humaniſſime, atque omnibus illis honoribus affectus, qui Regis fratri debentur; nam amantiſſimis ab eo amplexibus circumplicatus, non ad pedum ſed ad manuum oſculum admiſſus, non ſtans ſed ſedens, quæ vellet, juſſus eſt dicere; præterea Celſitudinis cognomine cohoneſtatus, diſceſſit: quamquam omnes iſtos honores atque alios conſtantiſſime repudiaret, rogaretque, ut non jam in Principum, unde diſceſſerat, ſed in pauperum atque ino-

inopum, ad quos tranſierat, loco ac numero haberetur. Quod illi Pontifex, deinceps ſe facturum eſſe, promiſit. Duo etiam inſignia duarum mulierum exempla proximis diebus contigerunt, quæ ſcribenda, atque ad te mittenda curavi; ut, ſi tempore venerint, reliquis adjiciantur. Vale. Romæ, VII Idus Octobris CIↃIↃCXLIII.

XLII.

Omnibus ingenii, doctrinæ, probitatiſque notis inſigni viro,

TYRRHENO.

NImis profecto ſæviter, atque atrociter, invida mors in rebus humanis debacchatur; quæ plerunque viliſſimis ac ſordidiſſimis quibuſque relictis, quidquid eſt ubique cariſſimum ac belliſſimum, carpit. Paulo ante, Franciſci Balduccii, Etruſci poëtæ clariſſimi, & Lælii Guidiccionii, docti ſermonis utriuſque linguæ, & in omni eruditionis genere propemodum ſingularis, morte doluimus. Nunc, quaſi parum damni bonæ literæ feciſſent, Ioannem Ciampolum lugemus extinctum. Erat illi ingenium acre, ſublime, acutum; ſcribendi genus altum, exaggeratum, novum, ac ſuum proprium; ſententiæ argutæ, exquiſitæ, & tanquam ex abdito erutæ. Hic primum in Io. Baptiſtæ Strozzæ cæci ſchola eruditus, ejuſque facultatibus educatus, ingenii & eruditionis famam eſt adeptus; qua ſublevatus, in principum virorum amicitiam gratiamque pervenerat; à quibus divitiis atque opibus auctus, facile ad ſummam amplitudinem fuiſſet evectus, niſi, magnis ad eam itineribus properans, in medio curſu corruiſſet; ſuo fortaſſe vitio: erat enim elatus, tumidus, gloriarum plenus, ſui ipſius amator, ceterorum contemtor, præter eos, quos ſimilis ſcribendi natura atque voluntas ſibi junxiſſet. Sed, detractis his vitiis, erat omnino vir magnus; in inveniendo acutus; quod inveniſſet, omiſſis propriis, tranſlatis explicans verbis; tum in ſoluta oratione, tum

in verſibus, grande quiddam ac tragicum reſonans : quo fiebat, ut,qui multum ab hoc ipſius genere diſtarent,poſtularet, eos ſibi cedere, faſtigiumque ſummittere. Quid multa ? M. Tullium, & Pub. Virgilium, duo Latinæ eloquentiæ lumina, quorum temperata oratio, quæ nimirum humilia ſubtiliter, magna graviter, mediocria ſuaviter explicat, omnibus ſeculis admirabilis extitit, tales, inquam, tantoſque viros, tanquam nullius hominis ingenii, nullius ponderis, inopes rerum ac ſententiarum, ſermone abjecto atque pedeſtri, irridebat. Sua dicitur ſcripta Regi Poloniæ teſtamento legaſſe ; ex quibus, ſi edentur, cognoſci poterit, qualis fuerit. Ex adminiſtrationibus oppidorum, quæ, per annos duodecim, invitus (nam ad Vrbem, unde ſub honoris ſpecie fuerat ejectus, crebro ſpectabat,) gubernaverat, & ex fructibus, quos ex pinguibus ſacerdotiis, quibus præditus erat, capiebat, multa aureorum millia confecerat: ex quibus millia decem & octo, quæ in officiis, ut vocant, una cum vita pereuntibus, collocaverat, ad Pontificem redierunt ; ad quem etiam reliquorum bonorum poſſeſſio, ſpolii jure, pervenit. O miſeros mortales, in coacervandis divitiis occupatos ; qui, ſuum ſæpe genium fraudantes, neſciunt, cui congregent eas ! Ille mihi videtur prudens, ac ſapienter, ut ita dicam, avarus, qui, quod ſibi ex ſuis uſibus redundat, effundit in pauperes. non enim illud perdit, ſed pauperum manibus tradit, deferendum in cælum : ubi, in omni æterni temporis ſpacio, quod in ipſis ſumpſerit, eo fruatur, nec cuiquam ad illud adſpirare fas erit. Sed jam philoſophatum eſt ſatis : pergo ad reliqua. Summæ mihi voluptati fuit, intelligere, quaterniones meos, una cum literis, ad te datis, non interiiſſe, ſed ſalvos, ad unum omnes, perveniſſe. Nam, ſi quod, eorum jactura, damnum fieri contigiſſet, nulla id ratione ſarciri potuiſſet ; quod, ob rationes quas me tibi ſæpius commemoraſſe memini, eorum, quæ ſcribo, nullum apud me exemplar relinquo. Quod autem ad bella attinet, laboratur hic vehementer : ac proximis diebus, non procul ab agro Peruſino, male à noſtris pugnatum eſt ; qui, inſidiis inimicorum oppreſſi, partim ferro deleti, partim, una cum eorum

omnibus

omnibus fere ducibus, ſunt in captivitatem abducti. Tuæ ſunt partes, in precibus ac ſacrificiis, quæ Deo offers, eum rogare, ut ſit propitius, & Eccleſiæ ſuæ cauſam defenſionemque ſuſcipiat. Reliquum eſt, ut de tua ſingulari erga me humanitate benevolentiaque gratias agam; quæ quamvis ſatis ſe mihi indicaverit, tamen non ceſſat, in ſingulis tuis ad me literis, ex omnibus partibus fere ſemper oſtendere. Vale. Romæ, XVI Kalend. Octobr. CIƆ IƆ CXLIII.

XLIII.

Doctiſſimo clariſſimoque viro, TYRRHENO.

IVbes me, Tyrrhene præſtantiſſime, tuis longis iiſdemque elegantiſſimis literis, quas proxime ad me miſiſti, alteris meis, æque longis, reſpondere. Quod non eſt difficile. Non enim cicadæ poteſt cantio deeſſe. Sed, ut illis æque bene, docte, eleganterque reſpondere liceat, tua opus eſt mihi eloquentia; quæ, ut tu optime omnium noſti, non in verborum tantum copia, & linguæ volubilitate conſiſtit, ſed aliis pluribus longeque majoribus virtutibus continetur: quarum in te nulla deſideratur. Nam, ſi verba eloquentes facerent, quis non eſſet eloquens? Nemo enim, niſi ſit plane elinguis ac ſtupidus, pluribus verbis animi ſui ſenſa proferre non poteſt. Tum garruli, loquaces, atque adeo circulatores omnes, eſſent in eloquentium numero reponendi, qui multas quotidie horas in foris, celeri ac nuſquam inſiſtente orationis curſu, ſimplicibus ac credulis hominibus mercimonia conantur obtrudere. Dabo igitur operam, ut tibi faciam ſatis, ac verbis, quibus tuæ ſcriptæ ſunt literæ, totidem pene verba rependam. Et primum, voluptatem mihi magnam nuncias; cum ſcribis, literarum, quas ad te dederim, nullas interiiſſe, ſed ſalvas, ad unas, omnes, perveniſſe. Sed cum addis, non meminiſſe te, eas legiſſe, quas ad Fabium Chiſium anno ſuperiore, ſcriptas verſibus, miſi; facis, ut verear, ne omnes tibi ſint redditæ.

Mitto igitur earum exemplum; quas, ſumma ambitione, à te, ſummo ſcribendorum carminum magiſtro, legi ac corrigi cupio. Quibus accedunt aliæ, fratribus Accorambonis, optimis ac nobilibus adoleſcentibus datæ; in quibus Maria Iſabella Accorambona, fœmina lectiſſima, eorum amita, omnem ſpem familiæ Accorambonæ dignitatis collocatam habet: nam illi, pene infantes, intra ſeptem dierum ſpacium, utroque ſunt parente orbati. Multa continent præcepta, ad mores recte formandos, ætati illi utilia ac ſalutaria. Superioribus diebus, aliam ad eundem Antiſtitem epiſtolam, verſibus exaratam, ſcripſi; quam accepiſſe, legiſſe, atque etiam emendaſſe te arbitror: id enim ſummopere à te expetebam. Commovit ſtudium meum, ad verſus faciendos, elegantiſſimum viri illius carmen, cum ſumma pietatis ſignificatione conjunctum, in quo P. Capuccino Leodienſi cogitationes ſuas, de mundi contemtu, à Deo ſibi immiſſas, exponit. Placuit mihi argumentum; cui jam longa vita plus quam ſatis oſtendit, quam ſint fluxa, fragilia, caduca, inania, omnia ejus bona, quam ſint fallaces hominum ſpes, fragiliſque fortuna, quam ſint inanes omnes noſtræ contentiones, labores, & ſtudia. Ac multa in eam ſententiam dixi, non eadem eloquentia, qua ille, ſed animi ſenſu propemodum pari. Ac, bonā iſtam mentem, qua præditus es, tibi vehementer gratulor, Deumq; oro, ut ſit perpetua. Verum, ex his verſibus, aliiſque, quos te habere fateris, ſimul collectis, poſſet unum corpus conficí, typiſq; mandari. At erit exiguum. Fateor; non tamen propterea lectorum à ſe animos abalienabit, immo conciliabit ſibi magis. Sentimus enim, librorum exiguitate nos vehementer, ad cognoſcendum, quid illi afferant, allici; contra, magnitudine eorundem ac mole, à legendo deterreri. At quamvis hic liber, ſi edatur, juſtæ magnitudinis commendatione, opinioni hominum tradi non poſſit, ſaltem in iis numeraretur, qui re magis atque virtute æſtimantur, quam pondere ac mole. Sed tantum illi laudis ac boni, ingenii facultatiſque meæ tenuitas invidet. Atque utinam omnia, quæ in hoc genere ſcripta ſunt à nobis, proferre poſſemus, neque partim neglecta interiiſſent; partim ab eo, qui ſecum attulit, detinerentur:

tur: profecto hæc ab eo magnitudo, quæ nunc abeſt, non deſideraretur. Nunc meæ me inertiæ pudet pigetque, qui tantopere ſemper laborem deſcribendi defugerim, neque operum, in quibus deſudaſſem, exemplaria ſervaverim; quibus operibus, tua auctoritate & gratia, in lucem proferendis, tam bella occaſio deperit; cujus fortaſſe, ut omnes divi atq; homines adjuvent, non alia poſthac melior commodiorque ſe offeret. At ſi tibi, inquis, iſte ſcribendi labor ita eſt odioſus atque moleſtus, amanuenſis vel librarii cujuſpiam opera utere; ita enim laboris ſcribendi moleſtiam feceris lucri. Primum, non ſum in tantis nummis, præſertim in his temporum difficultatibus, ac difficillimis ſolutionis, ut præter eam familiam, quam alo, poſſim etiam amanuenſis, docti eruditique viri, qui ea, quæ ſcribit, intelligat, operas emere; cujus notæ homines & difficillime inveniuntur, & cariſſime conducuntur. Deinde, quos in librariis ſumptus facias, perdis. Etenim, harum elegantium artium rudes, ita corrupte, ita inquinate, omnia deſcribunt, ut in iis, quæ ſcripſerint, corrigendis emendandiſque, plus operis ſumas, quam ſi ipſe ſcripſiſſes. Verum, quamvis omnium mearum rerum jacturam æquo animo feram, earum præſertim quæ ingenio pepererim, nolim tamen epiſtolas interire; quæ propter ſtyli & argumenti varietatem & copiam, non minimam poſſunt lectoribus voluptatem afferre. At ego Gabrielem Naudæum, ingenuum ac literatum virum, nunquam iis eſſe præditum moribus credam, ut eas perditum ire velit. Nam quid illi lucri ſit, eum, qui ipſius fidem ſecutus ſit, fallere? Gaudeo, tibi conſilium probari meum, de altera Pinacotheca inſtituenda; cumque id opus, quod præ manibus habeo, abſolvero, (quod jam in fine laborat,) nihil hoc eſſe faciendum prius exiſtimo; ſi tamen vita ſuppeditaverit; ut cum ſuperioris ſatietas ceperit, novam habeas deambulationem, ubi faſtidium & ſatietatem poſſis abigere. Nam poſt illam editam, tria præclara, & immortalitate digna ingenia interierunt, Balduccius, Guidiccionus, Ciampolus; quos ego novi probe, atque etiam habui uſu amicitiaque conjunctos. De aliis, qui mihi noti ſunt minus, præſto ſunt, qui me docere fideliter poſſint, quali

quiſque fuerit ingenio, moribus, eruditione, doctrina. Neque quidquam eſt, quod expedire celerius, vel facilius, poſſim. Etenim in hoc opere, quod nunc urgeo, omnia ſunt ingenio eruenda: quæ magni laboris res eſt, magnæque induſtriæ: in illo, quod aggredi meditor, parata erit materia, & ante oculos poſita: neque in verbis inveniendis eligendiſque magnus me labor & cura torquebit; quod longus ſcribendi uſus exercitatioque id mihi attulit, ut verba, quæ ſint apta, ſtatim vocata reſpondeant, & ſub acumen ſtyli ſuccedant, tum argutæ facetæque ſententiæ, ad ornatum ac lumen orationis, ſua ſponte, cum eſt opus, occurrant. Sed, quo major ex nova Pinacotheca voluptas tibi contingat, proſperam ac ſecundam valetudinem evenire in primis cupio; ſine qua, nihil cuiquam gratum, nihil jucundum poteſt accidere. Cui valetudini ſi incommodus eſt maxime cæli iſtius rigor atque ſævitia, quæſo, quod bona ſummi Pontificis cum venia fiat, eripe te, quantum poteſt, regionibus iſtis frigidiſſimis, & aërem mitiorem ſalubrioremque perſequere; cujuſmodi illum eſſe arbitror, quo ſponſa, ut inquis, hoc eſt, Eccleſia tua te vocat. Quamquam, ſi meo arbitratu liceat, velim te hic Romæ, ex tuis virtutibus ornatum, aſpicere, atque in eo dignitatis loco collocatum, quo tua te præclara in Remp. merita vocant, officiis omnibus amplecti, colere, ac venerari; præterea, magis ex me ipſo, quam ex aliqua mei ipſius effigie, tibi notus atque perſpectus exiſtere. Quæ effigies, jam abſoluta planeque perfecta, in æs inciditur, ut imprimatur. Quod ubi erit factum, continuo ad te plura ejus evolabunt exempla. Nec ſine magno meo pudore ac verecundia. Nam quis ego ſim, ut oris mei deſcriptio, cum veritate naturæ decertans, in paginis impreſſa, circumferatur, quæ non ſolum pictoris artificio, ſed etiam commemoratione hominis, & cognitione formæ, delectet? Sed amicis, nimium in hac re cupidis mei, poſtulantibus, vel cogentibus potius, obſiſti non potuit. At, his omiſſis, amo pietatem tuam, ac laudo, qui à Deo tibi commiſſam Eccleſiam, adèo cordi tuo caram eſſe oſtendis, ut omnibus tuis honoribus ac commodis anteponendam exiſtimes. Ob cujus pietatis ac religionis

ardorem ſtudiumque, illi tibi fructus contingent, qui maximi, omnium opinione, cenſentur; ſumma apud homines laus, & ad honores aſcenſio. Atque, ut meritorum tuorum ſationi, iniquorum malignitate, hi fructus non reſpondeant, qui, quoniam fluxi ſunt & caduci, cur tantopere ſint expetendi, non video; certe te illi non decipient,qui,poſt decurſum hujus miſeræ & ærumnoſæ vitæ ſpacium, iis à Deo proveniunt, qui creditam ac commiſſam ipſis Eccleſiam, cum fidei, probitatis, juſtitiæque laude adminiſtrarunt. En tibi epiſtolam longam, tuæque verborum prope numero parem; quam,ob ejus longitudinem, me piget relegere. Vale; ac me, ſicut facis, dilige. Romæ, Id. Octobr. CIƆ IƆ CXLIII.

Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Domino FABIO CHISIO, Sedis Apoſtolicæ apud Vbios Nuncio.

GRandia ſemidei dum te mandata remotis
Vrbani retinent Vbiis; dum mole ſub alta
Curarum premeris; Romæ, ſecurus inerſque,
Longa nimis placidam duco per tempora vitam,
Ambitione procul; nec ſævo viſcera morſu
Corripit invidia, ex vicini rebus opimis;
Nec rapit ex oculis ſomnos ferus ardor habendi,
Nec lacerat mentem Veneris male ſana cupido,
Turpis cuivis, ætati ſed turpior actæ.
Quocirca, Æmonio jam pene æqualis Olympo,
Ipſe potens animi, cæli de parte ſerena.
Cuncta feris cerno jactari flatibus infra.
Eſt mihi Ianiculi domus alto in vertice collis,
Quamvis parva, tamen qua non formoſior ulla.
Hæc Tiberim late circum campoſque virentes,
Et ſeptemgeminos tollentem ad ſidera colles,
Romulidum cupidis offert obtutibus Vrbem.
Si domus illa placet, longos quæ proſpicit agros,
Quæ magis hac placeat, quam ſors mihi dextra paravit?
Innocui vero facies nitidiſſima cæli,
Tum juga Telegoni, blandas tum Tiburis udi
Delicias regum, ac veteris monimenta Sibyllæ,

Præ ſe pontinum, & fundos putat eſſe malignos.
Iungitur exiguus domui, ſed fertilis herbis,
Vtilis & pomis, atque aptus vitibus, hortus.
Hic caſiæ mites, & olentis vimen acanthi;
Roſmaris hic, betæque, rumex, inulæque morantur;
Intybaque, erucæque, & ſpiſſis allia fibris,
Non deſunt; hic ruta viret, cœpæque rubeſcunt,
Nec non, læta ſinum pandens, ſe ſalvia fundit;
Ac locus, his etiam plures, alit ubere fœtus.
Arboribus ficus albæ, biferæque, nigræque,
Ac tenui pendent obducta cydonia lana.
Ver hic perpetuum renitens, dat munera florum,
Herbarumque, ſinu tellus quas fœta remittit.
Lacteolas violas, rubras, quaſque inficit ille
Qui color inſani faciem perfundit amantis,
Purpureas niveaſque roſas, atque alba liguſtra,
Corycioſque crocos, Salaminiacoſque hyacinthos.
Eſt ubi plus tepeant hyemes, aut aura Favoni
Dulcius immodicos æſtatis temperet ignes?
Namque ubi perrupto fremit Auſter carcere ſævus,
Aut gelido immites ſtrident Aquilone procellæ,
Atque aër mugit, ſtrepitant ſilvæque ſonantes;
Nil hyemi eſt noſtro viridanti juris in horto;
Singula quæque foris cum bello fervere cernas,
Intus cuncta ſilent, & verna pace fruuntur.
Vnde mihi, claro fas eſt mea prandia mane
Impune in ſole ac cælo celebrare patenti,
Dum ſepti domibus reliqui, clauſaque feneſtra,
Igni quiſque fugat frigus, boreamque furentem.
At poſtquam glacialis hyems dat, pulſa ſub arctos,
Æſtati reparare vices, flammaque rapaci
Cum campis urit ſegetes Hyperionis ardor.
Argutis & cuncta fremunt ardore cicadis;
Ad menſam ſedeo, denſas præbentibus umbras
Mollibus, ac pictis viridi pallore, corymbis;
Quos circum volitant auræ, Zephyrique vagantes:
Hos comitantur aves, patulis quæ dulcia ramis
Ludentes vario diffundunt carmina cantu.
Solus abeſt gelidis manans à fontibus humor,
Qui blandum referat decurrens murmur ad aures,
Irriget

Irriget & largo viridantes flumine plantas.
Sed quoque contingent hæc nobis dona, propinqui
Divitis auxilio, magnam qui ducit aquarum
Vim ſibi; poſt refluas vicinis dividet undas.
Ac, ne ſumma domus ſint imis forte minora,
Ardua ſublimi pandit ſeſe area tecto,
Vnde acies longe ſubjectos tendat in agros.
Dat ſinuoſa comis vitis frondentibus umbras
Frigidulas illi, ſolemque à finibus arcet.
Inſequitur canna, lentoque ex vimine texta,
Spelunca in morem, caſula, & quo firmior imbri
Ventiſque obſiſtat, fulcitur tota tigellis.
Hic mihi grata quies, veterum monumenta legenti,
Suppetit, & feſſo ſolamen dulce laborum,
Ac memori illorum, quos antra domuſque ferarum
Excepere olim, labentis tempora vitæ
Occurrunt animo, & patriæ cæleſtis origo.
Tum peregrinantem refero, qui feſſus in umbra
Amiſſas reparat vires, quo promptior inde
Carpat iter reliquum, patriis avulſus ab oris.
Quos mihi dat riſus, ſupremæ qui immemor horæ,
Sumtibus innumeris, vicinas nubibus ædes
Ædificat, jam jam tenues abiturus in auras!
Illa viatori magis apta cubilia duco.
Mittitur unde mea ſcripta hæc tibi littera dextra.

Mario ac Roberto Accorambonis, fratribus, magnæ ſpei adoleſcentibus.

Roberte, atque Mari, fratres, duo germina clari
Accoramboni generis, quos fervida virtus,
Per ſaxa & ſalebras, celſi perque aſpera montis,
Alta trahit pueros ſupremi ad limen honoris;
Pergite, nec ſcelerum mater vos, blanda voluptas,
Ipſa ſuis capiat laqueis, teneatque revinctos;
Pinguia nec variis depicta coloribus arva,
Denſa quibus nimium ſtultorum turba pererrat,
Decipiant oculos ſpecie, greſſuſque morentur,
Optatam valeant curſu ne tangere metam.

Nunc

Nunc opus eſt animis, pueri, nunc pectore firmo,
Cum veſtra hæc petitur tam multis hoſtibus ætas,
Flectere qui teneros vitiorum ad limina cogant.
Nam (moneo) falſa latitat ſub imagine, dulcis,
Dira voluptatis tabes, tetrumque venenum,
Quod, ſimul infundit ſe animis, totoſque peragrat,
Protinus, æterno mactatos funere, ad ima
Tartara demergit, fauceſque immitis Averni.
Tum via, quæ rutilis fulget violiſque roſiſque,
Et tenerum pedibus gramen ſubſternit euntis,
Plena eſt inſidiis: fugiat, velocius aura,
Blandimenta oculos inimica juvantia molles,
Cui Deus & propria mens eſt & cura ſalutis.
Multo flore tegit, multumque virentibus herbis,
Mortiferos angues, laqueos, atque horrida Ditis
Oſtia, ſulphureos amnes, noctemque profundam,
Quæ rapit incautos, raptoſque in viſcera condit.
Spreta voluptatis facies, & amœna vireta
Poſthabita, & fontes, ac formoſiſſima Tempe,
Inſeruere aſtris, diram qui contudit hydram,
Stymphalidaſque feras proſtravit cominus arcu,
Quæque ipſe indueret, detraxit terga leoni;
Remigium contra quivis Ithacenſis Vlyſſi,
Cui potior patria fuit interdicta voluptas,
Æternis lacerat probris, ac ſedulus urget,
Quod liquidi quondam captum dulcedine potus
In ſuis antiquam mutaverit ora figuram.
Credite, vos eadem tandem fortuna ſequetur,
Cum ſimiles illis contingat moribus eſſe.
Sed magis Herculeo ſubmittite colla labori,
Si vos ille poteſt facere & ſervare beatos.

XLIV. Sin-

XLIV.

Singulari ſapientia & eruditione viro,

TYRRHENO.

DIſtillatio iſta, quæ, menſem jam integrum meo à capite defluens, iter ad oculos habet, ita me ab omni animi contentione ſtudioque, quæ lippis inimica eſſe ajunt, remotum habet, jam ut nihil fere ſcribam, nihil mediter, nihil legam: manus ipſa quodammodo, ex longa deſidia ignaviaque, torpere videtur, ac vix audere calamum ſumere. Omnino tali ſum ingenio præditus, ut, niſi adſit uſus & exercitatio, ſimilis ſim navigio, quod adverſo flumine pellitur. Nam, ſi remiges paululum inhibuerint, continuo eum, quem tenet amnis, curſum repetet, intermiſſo impetu pulſuque remorum. Quamobrem ſi lippitudo iſta pergat mihi moleſta eſſe, vereor, ne illuc redeam, unde me magno labore vix abripui; nimirum ad inſcitiæ, ac Latini ſermonis ignorantiæ, terminos. Sed mea erga te obſervantia, ne id contingat, efficiet, & invita ac repugnante lippitudine, in aliquo me ſcribendi ſtudio retinebit. Nam, quoniam ita tibi gratum eſſe video, nullam occaſionem, ad te literas dandi, prætermittam, nec officii literarum intermiſſione, tuo in me amori intervenire calamitatem aliquam patiar. Etenim nulla re alia, tam inter abſentes amicitiæ ab interitu vindicantur, quam literarum ope atque præſidio. Quamvis, dum ægritudo oculorum maneat, eo ſim parcius uſurus, hoc eſt, minus longas ad te literas daturus. Neq; ſolum amicitiæ tuendæ gratia, epiſtolarum officium eſſe mihi neceſſarium exiſtimo, verum ea etiam de cauſa, ne aliquod ingrati animi crimen incurram; quod tua in me beneficia ita magna ſunt, ita perpetua, ut, niſi tibi ſæpiſſime gratias agam, non modo ingratus, verum etiam impius ſim habendus. Nunquam enim illorum memoria mihi excidet: nunquam uſurpare literis atque ſermonibus deſiſtam, tuam illam; quo nomine appellem neſcio; nam ſi dixero, be-

nevo-

nevolentiam, curam, ac diligentiam, vereor, ne id quod eloquar perinde intelligatur, atque ipſe cogitans ſentio; verum neceſſitatis & inopiæ cauſa dicam, ſummam illam ſolicitudinem, ab incredibili quadam humanitate ductam, qua, in maximis tuis occupationibus, acerbiſſimis veſicæ doloribus, gloriolæ noſtræ ſtudioſus in primis, das operam per tuos, ut mea ſcripta elegantiſſimis typis mandentur. Et, quod ad dialogos attinet, multa jam errata collegi, typographi injuria commiſſa; eaque ad Nihuſium miſi; ſed ſum oblitus, epiſtolæ, qua fratribus Syris Dialogum convivii, in ipſorum villa celebrati, inſcribo, addere, patriciis Savonenſibus; ut ejus inſcriptio ſit, *Io. Baptiſtæ & Alexandro de Syris, patriciis Savonenſibus.* Si nondum Dialogi ſint impreſſi, eſſet mihi gratiſſimum, duo illa verba addi. Et cum nihil ſit præterea, quod ad te ſcribam; finem faciam. Cura ut valeas, meque tibi ſemper gratum, tuorumq; in me beneficiorum memorem fore, exiſtimes. Romæ, VI Kal. Octobr. CIϽIϽCXLIII.

XLV.

Clariſſimo ornatiſſimoque viro,

TYRRHENO.

QVod breviores, quam vellem, hæ meæ ad te literæ veniant, temporis anguſtiæ, in quas coactus ſum, faciunt. Nam cum tabellarius in eo jam eſſet, ut diſcederet, dedit mihi ad Bartoldum Nihuſium literas Leo Allatius, Græcorum longe doctiſſimus; in quibus, ad quædam illius poſtulata, docte eruditeque reſpondet. Id ille ſerius fortaſſe, quam vellet, ab eo factum, queretur; ſed injuria. Nam, nec majori celeritate, nec majori diligentia potuit; quod ea, de quibus doceri poſtulat, tam multa ſunt, tam perplexa, tam obſcura, ut ad ea explicanda, atque illuſtranda, multæ illi fuerint bibliothecæ adeundæ, multi codices evolvendi, multorum etiam ſententiæ perquirendæ audiendæque. Præterea, tot negociorum labore gravatus, atque aulæ occupatione

ne (nam Franciſco Card. Barberino operam navat,) ita diſtrictus eſt totus, ut non multum illi ocii ac temporis ad literarum ſtudia relinquatur. Expectatiſſimæ hæ ad Nihuſium literæ perferentur: novi enim ego, ex illius literis, hominis ingenium, quam ſit cupidum omnis eruditionis, omniſque doctrinæ, quamque harum literarum expectatione torqueatur. Tuæ erit humanitatis, tuique in illum amoris, perficere ut illi animus expleatur. Multa ſunt, quæ ſcribi poſſent, præſertim de bello, quo multæ Italiæ urbes agrique vaſtantur. Sed malo, ea te ab aliis audire, quam ex meis literis accipere. Statui enim omnino de Rep. ſilere. Nam plures mihi eſſent accuſandi. Tantum ſatis ſit ſcire, multa à noſtris ſecunda prælia fieri, atque adverſus hoſtes malignos acriter vehementerque pugnari. Hoc enim nomine videor poſſe eos afficere, qui Eccleſiæ Romanæ, à qua nulla illis eſt orta injuria, bellum atrox habent indictum. Sed Deus, pœnas ab illis debitas juſtaſque repetendo, vim ſuam numenque declarabit. Vale. Romæ, VIII Kal. Novembr. CIↃ IↃ CXLIII.

XLVI.

Clariſſimo ſapientiſſimoque viro,

TYRRHENO.

AVdio, tibi ſuccedi. Quod, ſi in rem tuam eſt, gaudeo. Quamquam, quantum ex ſuperioribus tuis literis intellexi, profectionem ab regionibus iſtis tibi non ingratam, vel ſaltem valetudini tuæ non incommodam fore video, idque ob cæli ſævitiam; quæ tantum, ſuperioribus annis, tibi morbi creavit, unde vix vivus emerſeris. Sed non perinde ac tibi, civibus iſtis gratus tuus diſceſſus exiſtet; qui te, quem ob vitæ innocentiam, ob ſingulares animi dotes, ob morum ſuavitatem, ita diligunt, ut nihil ſit in amore ardentius, ægre à ſe divelli patientur. Mihi vero, non ita commodum eveniet: nam, ut me tibi aperiam, optabam ſummopere, ante tuum ab urbe iſta diceſſum, fretus occaſione,
quam

quam Nihuſii benignitas præbet, epiſtolas, quas iſtuc ad te miſi, impreſſas aſpicere, quæ perpetuum eſſent meæ in te obſervantiæ, tuæque in me benevolentiæ, monumentum. Etenim, nulla re ita ſum alacer animo, quam ut ceteri, viventibus nobis, ex noſtris ad te literis cognoſcant, & omnis poſteritas ſeculorum intelligat, tecum nobis amicitiam uſumque literarum interceſſiſſe. Hoc nihil mihi, vel ad exiſtimationem honeſtius, vel ad læticiam animi jucundius, vel ad memoriæ dignitatem oportunius evenire poſſe exiſtimo. Deinde, cum hæ literæ non minimam partem laudum tuarum attingant, incredibli me cupiditate inflammabant, procurandi, ut ederentur; quo hac gloriola fruerer, meam etiam opellam, illis celebrandis, alicui uſui fuiſſe. Non tamen unquam ſperare ſum auſus, me, in te ſempiternæ gloriæ commendando, propriam ingenii gloriam conſequi poſſe: ad illud ſolum ſpectavi, ut hoc meo conatu fieret omnibus palam, quantam ego, una cum aliis, virtutum tuarum vim eſſe intelligam; cum me non potuerim continere, quin eas, quoquomodo poſſem, exponerem. Præterea augebat hoc deſiderium meum officioſa multorum ſedulitas, qui me, tanquam flagitatores aſſidui atque moleſti, circumſtant, rogantque, ecquando volumen epiſtolarum perventurum ad ipſos ſit, quod Naudæus, ſe quamprimum Romam, typis impreſſum, miſſurum eſſe, ſpoponderat: cupere enim ſe, ajunt, meum illud ſcribendi genus, in quo naturalis quidam ineſt, ut ipſi dicunt, non fucatus nitor, ac ſine moleſtia diligens elegantia, in epiſtolis, quarum illud magis eſt proprium, deguſtare. Sed cum Naudæus, multarum litium plurimorumque negociorum occupatione diſtrictus, adhuc promiſſi ſui ſummam explere non potuerit, fuiſſet mihi vehementer gratum, poſſe me, literis ad te miſſis huic illorum erga me voluntati facere ſatis. Neque in eo Naudæus offendi potuiſſet; neq; hæ literæ iis, quas ipſe poſtea edidiſſet, novitatis gratiam eripuiſſent. Nam illæ multum ab his diſtant, in quibus eſt genus orationis fuſum ac profluens, quod eſt epiſtolis familiaribus aptum. In quo vereor, ne modum exceſſerim, tecumque nimis familiariter egerim, ac jure illud mihi poſſis

poſſis objicere, quod olim Auguſtus illi, qui cœnam ipſi dederat, nec cerealem, nec pollucibilem, nec imperatoria illius majeſtate dignam, *Non putabam, me tibi eſſe tam familiarem.* Tua enim dignitas & honores acti, exquiſitius & enucleatius ſcribendi genus efflagitant. Et quoniam videbam, mearum ad te literarum non eum eſſe numerum, qui juſtum aliquod corpus efficeret, cogitabam, poſſe iis adjici eas, verſibus ſcriptas, illaſque ad Nihuſium datas, ac præterea nonnullas alias, quas domi habeo. At vide, quam ego cogitationi huic meæ aſſentabar, & faciliora omnia fingebam. Occurrebat mihi primum, Nihuſii humanitas, ac propenſa, in hæc ſtudia, voluntas, quæ non gravate dediſſet operam, ut illæ imprimerentur: tum, egregium illud erga te ſtudium, quod nihil tibi poſtulanti denegaſſet, ſeſe aperiebat: poſtremo, ut ad hanc ſpem, quæ mihi à Nihuſio oſtendebatur, vela darem, ea etiam cogitatio me, tanquam flatus aliquis, impellebat, quod eum arbitrabar, non ſolum honoris tui gratia, ſed ſua etiam cauſa, ad hanc provinciam ſuſcipiendam deſcenſurum, quod meæ ad ipſum litteræ, quæ una cum aliis eſſent imprimendæ, meritiſſimo, magnam ingenii, doctrinæ & eruditionis, commendationem habeant. Verum, cum hæc ſpes occiſa propemodum ſit, eam dimittam; eoque magis, quod hanc rationem mecum tantum inibam, non autem tecum; quem præſertim adhibitum eſſe oportuit. Quis enim ſcit, an tu meum iſtud conſilium fuiſſes approbaturus, an illud potius, tanquam ineptum, vel inane, repudiaturus? Quamobrem, ab hac cogitatione me totum avoco, & ad eam revoco, ut, ſimul ac operi inchoato, prope tamen abſoluto, tanquam faſtigium impoſuerim, alteram Pinacothecæ partem, te in primis hortante ac ſuadente, inſtituam. Vale. Romæ, VI Idus Novembr. CIↃ IↃ CXLIII.

XLVII.

Nobiliſſimo præſtantiſſimoque viro,

T Y R R H E N O.

SCribis ad me, te iſtic futurum hac hyeme; quam, ut initia ſe dant, acerrimam fore non dubito. Quod valetudinis tuæ cauſa, quæ mihi carior eſt mea, minime vellem; cum cælum iſtud frigidiſſimum, ut magno tuo cum malo expertus es, tibi adverſarium ſit maxime. Verum cum ita ſummi Pontificis voluntas ferat; cujus voluntati, pro ea qua præditus es erga Sedem Apoſtolicam reverentia atque obſervantia, tuæ faſtigium faſceſque ſummittis, ſine ulla exceptione loci, temporis, ac valetudinis; aliquam in ſpem venio, fore, ut mihi contingat, quod maxime cupio; nimirum, ut ea qua apud Nihuſium auctoritate & gratia polles, ſtatim poſt Exempla, meæ ad te literæ imprimantur, una cum iis, quas ad ipſum Nihuſium dedi, aliiſque nonnullis, quas diſperſas & vagas, hic Romæ collegi; idque iis de cauſis, quas pluribus verbis, ſuperioribus meis ad te literis, ſcripſi. Etenim Naudæi, qui tot pollicitationibus volumen à me literarum, una cum aliis quæ ſcripſimus, abſtulit, & ſecum in Galliam aſportavit, ſua promiſſa excidiſſe ab animo, video,

Vt miſſum ſponſi furtivo munere malum
Procurrit caſto virginis è gremio,
Quod miſeræ oblitæ, molli ſub veſte locatum,
Dum adventu matris proſilit, excutitur.

Quamquam dignus eſt excuſatione. Nam in aſportanda ordinandaque inſigni bibliotheca, quam Cardinalis Mazarinus, cui ille inſervit, coëmit, tanta homini occupatio incidit, ut non liceat, alieno dare operam negocio. Verum, quamvis hujus rei ſim maxime cupidus, totam tamen in tuum arbitrium voluntatemque rejicio; à qua vel latum quidem unguem recedere, mihi fas eſſe non duco. Illud fortaſſe, ut totum hoc meum poſtulatum contemnas, efficiet, nempe epiſtolarum ipſarum

ratio,

ratio, quæ omnes diligenter ſcribendi laude carent. Sum etenim revera, tum in epiſtolis, tum in aliis ſcriptionibus, admodum iners ac negligens, qui eas, inertiæ cauſa, ne relegere quidem audeo; quam meam inertiam, elegantiſſimo illo ſymbolo, quod ad me miſiſti, verberari ſentio; nam, tam inconditis & inquinate loquentibus literis, tui nominis claritati tenebras obduci putabis. Sed, neque tibi neque mortalium cuipiam diſplicere debeat, in ea rudi impolitaque oratione, tanquam tenebris, mei erga te officii, vel pietatis potius, lumen enitere. Sed de his nimis multa. Statueram, ſimul ac opus, quod nunc urgeo, exædificaſſem, aliam Pinacothecam inſtituere, in quam eorum, qui prætermiſſi eſſent, vel poſtea interiiſſent, imagines referrem; ſed, cum multorum, enixe eam poſtulantium, ſtudiis non poſſit obſiſti, eſt mihi in animo, omiſſis aliis omnibus, quamprimum illi manus admovere; ac, ſi paratam habuero materiam, non ita multis eam menſibus abſolvam. Quamobrem, rem mihi gratiſſimam feceris, ſi uniuſcujuſque popularium tuorum, de quibus ad me ſcripſiſti, genus, ſtudium, ætatem, mores, tum pravos, tum bonos, exitum vitæ, atque alia, quæ ſint illius propria, non fuſe, neque Latine, (nolo enim tibi homini occupatiſſimo id laboris imponere;) ſed breviter, ac vernacula lingua, deſcribenda, atque ad me perferenda curabis. Quibus, in nonnullis, pace tua, ea addam, quæ ipſe audivi ac vidi. Etenim non pangimus panegyricos, ſed animi cujuſque vultum, qui ingenii laude præſtiterit, oratione, tanquam penicillo, deſcribimus. Oris mei imaguncula nondum advenit; cum aderit, properabit ad te, ventis atque avibus citius. Quam cum aſpicies, exclamabis, Cadaveroſam hominis faciem, dignamque, quæ in literatis fictilibus urnis, joci cauſa, depingatur! Vale. Romæ, XII Kal. Decemb. CIↃIↃCXLIII.

XLVIII.

Laudatiſſimo, omnique honore cultuque digniſſimo viro,

T Y R R H E N O.

IAm Nihuſio redditum eſſe arbitror faſciculum literarum, ab Allatio miſſum; quibus doctiſſimis illius poſtulatis reſpondet. Neque dubito, quin animum illi expleverit. Ita eſt Allatius earum rerum peritus, de quibus ille doceri volebat, ut paucos habeat pares, ſuperiorem fortaſſe neminem. Ac forſan ſerius, quam vellet, ſibi reſponſum, queretur; ſed non debet nimium, ex ſuo ocio, alienum ſpectare. Aulicus ille eſt, & multarum rerum occupatione diſtrictus. At ego Nihuſii, in me diligendo, & in curando, ut mea opuſcula quam nitidiſſime & quam celerrime typis excudantur, in ipſis literis, quas mittis, benevolentiam, curam, aſſiduitatem, diligentiam, mirifice laudo. Sicut etiam tuam erga me benignitatem humanitatemque ſatis mirari non poſſum: nam quamquam tibi, homini occupatiſſimo, remiſerim, niſi quid neceſſe eſſet, neceſſe ne haberes ſcribere; tuæ tamen ad me literæ nunquam conquieſcunt. Quibus literis, noli exiſtimare, quidquam mihi vel optatius vel jucundius poſſe contingere. Iis enim legendis, non modo vocem tuam, abſens, audire videor, verum etiam in eis, quaſi in quadam tabula, elegantiſſimi ingenii tui imaginem expreſſam aſpicere. Vtinam tu quoque intueri in meis epiſtolis poſſes, amoris in te mei formam, & obligationis magnitudinem, qua tibi devincior: magnus profecto voluptati, quam ex tua amicitia capio, cumulus accederet. Verum non ea mihi orationis facultas, non ea ingenii vis obtigit, quæ utrique rei explicandæ par eſſe poſſit. Sed tametſi tuis literis incredibiliter delectari & allevari me ſentiam, ſi moleſtia aliqua premar; tamen, ſi illis, publicis negotiis, quibus iſtic praes, fraus aliqua fiat, hanc delectationem & allevationem, præſertim ſi ſcribendi neceſ-

ſitas

ſitas nulla ſit, publicæ utilitati, quamvis iniquo animo, remitto atque condono. Etenim laudo te, ac beatum judico, cui, quidquid ineſt ingenii, doctrinæ atque prudentiæ, quod tantum eſt, ut non videam, cui debeas cedere, totum libeat ad commune aliorum bonum utilitatemque conferre. Neque eos unquam laudavi, qui cum inſtrumenta rerum gerendarum, à natura accepiſſent, privatum ocium publicis negociis antepoſuerunt. quod ſi optimo ac ſapientiſſimo cuique perſuaſiſſent, civitates ac Reſp. nullas haberemus; jampridem enim earum interitus conſecutus eſſet. At, ſi tu hoc, inquies, iſto pacto arbitraris, ut prædicas, cur te avocaſti à judiciis, à foro, à curia, & ab omni republica? cur in hortulis, ut ita dicam, quieviſti tuis, ut ibi, Epicuri diſcipulus, vitam in ocio ac voluptate, hoc eſt, in literarum ſtudiis, quibus nulla major voluptas eſt, ageres? ut in ea eſſe ſententia videaris, quæ negat, verſari in Rep. eſſe ſapientis. Vera loqueris; neque illud me pudet confiteri, procul à Rep. ætatem egiſſe, & ubi adoleſcentiam habuerim, ibi ſenectutem exigere. Verum id magis fortunæ injuria, qua ſemper iniqua & adverſa uſus ſum, quam voluntate mea, factum eſt: ea enim me, ſummo Reip. capeſſendæ ſtudio incenſum, repulit inde, quo aggredi cupiebam: itaque, quod erat neceſſitatis, cœpit etiam eſſe voluntatis; omnemque publicorum munerum cogitationem meo ab animo ejeci. Quod ſi ſit aliquis, cui vera potentiſſimi illius Regis ſententia videatur, qui laudat ſenem, & fortunatum eſſe ait, qui inglorius ſit & ignobilis ad ſupremum diem perventurus; ecce me, quem probet, ac beati nomine, ſi velit, afficiat. Verum, hanc habeo huic meo ocio gratiam, quod te mihi, dominum, patronum, amicum, de me optime meritum, obtulit. Nam niſi Eudemia ocii mei fructus extitiſſet, nunquam tanto bono auctus ornatuſque fuiſſem. In quo ego tantum lucri pono, ut non ſolum illud mihi velim, uſq; ad exitum vitæ, integrum inviolatumque permanere, ſed etiam poſteris notum eſſe atque teſtatum, me uſum te eſſe amico, atque patrono. Quod mihi poſſe contingere exiſtimo, ſi, quemadmodum ſæpius ad te ſcripſi, litteræ, quas tibi miſi, vel iſtic Co-

loniæ, vel uſpiam in Belgio, imprimantur. Sed pudet me de hoc plura ſcribere, ne tu, qui meam ſtultitiam adhuc pertuliſti, ſtomacheris, ac me non minus inſanire dicas, quam Ciceronem, qui de filiæ apotheoſi ſolicitus, tantam Attico ſuo moleſtiam exhibebat. Salvere cupio, viribus animi perquam venerabundi omnibus, Illuſtriſſimum Nuncium Apoſtolicum, Fabium Chiſium, patronum meum ingentem: ad quem ſcribi à me ſæpius, te non latet. Vale. Romæ, pridie Nonas Decembris CIϽ IϽ CXLIII.

XLIX.

Clariſſimo ornatiſſimoque viro, domino & patrono ſingulari,

TYRRHENO.

CVm maximo à te opere petii, ut, ſi quod in meos verſiculos mendum irrepſiſſe cognoſceres, emendares atque corrigeres, vel ſi qua in eis ſyllaba, humanæ imbecillitatis vitio, me peccaſſe conſtaret, ad rectam carminis rationem revocares ac redigeres; factum eſt à me ſerio, ac more majorum, ſine fuco ac fallaciis; nec veritus ſum aſſentandi ſuſpicionem, quia probe ſum mihi conſcius, nihil in me prorſus ineſſe, quo ſigna conturbentur, quibus voluntas à ſimulatione diſtingui poſſit. Et quamvis viginti ferme annis in aula verſatus ſim, feci tantum in ea temporis, rei omnium precioſiſſimæ, jacturam, non autem peſſimis aulicorum vitiis animum oblinivi, neque impetrare à me unquam potui, ut falſus fierem, atque aliud clauſum in pectore, aliud in lingua promtum haberem. Iis vero, apud quos, in ſermonibus familiaribus, ſummam tibi eruditionis eloquentiæque laudem attribuo, ne quidquam à me, amicitia vel gratia, fictum ac ſimulatum exiſtiment, tua carmina in medium affero. Quibus lectis, non ſolum te illi, magnum faciendi poliendique carminis artificem fatentur eſſe, dignumque, ad quem alii, in ſcribendis verſibus, conſilium opemque expetitum, adveni-

aut; verum etiam, in eo carmine exhorreſcunt, in quo pulcherrima non pauca nobis enarras. Ita enim, tot in eo, nomina tam abſona, tam abſurda, tam barbara, tam ab uſu aurium noſtrarum abhorrentia, eleganter verſibus illigas, ut ne latum quidem unguem à legitimo numero ac ſono recedas. Quod ſi Horatius in uno oppidulo Equotutio ita hæſit, ut confeſſus ſit, multo illud poſſe facilius ſignis, quam verſibus dici; quid facturum eum fuiſſe arbitramur, ſi in tot enormia incidiſſet vocabula? Profecto haſtas abjeciſſet, ſeque omnino poſſe eas verſibus complecti deſperaſſet. Pergratum eſt mihi, quod ſcribis, earum te literarum exemplum accepiſſe, quibus voluptates expono, quas ex ædium earum amœnitate ocioque, quibus nunc habito, cepi. Cepi, inquam; quia ab illis exeundum eſt mihi: pellor enim ab homine potenti, vicino meo; qui ab invito eas domino coëmit, ut domui, magnificè à ſe exædificatæ, conjungat. Quod eo mihi moleſtius accidit, quia plures ibi annos habitaverat, atque etiam mortuus eſt, Iulius Sanſedonius Epiſcopus, vir ſanctiſſimus, popularis tuus. Cupiebam enim, in eiſdem ædibus, & in eodem cubiculo, extremum meum diem obire, ubi ille ſuum obiiſſet. Sed ita ſunt res humanæ, atque ea lege nati ſumus, ut nullum cuiquam perpetuum ſit bonum. Nam vix aliquod datur, cum eripitur. Propterea ipſe me ſedulo & hortor & moneo, ut abducam animum à rebus tam incertis, tam fluxis, tamque fugacibus, atque ad ea adjiciam, quæ uno eodemque tenore ſemper fluunt, neque eorum curſus, calamitatis cujuſpiam interventu, revocatur, vel interrumpitur. Placet mihi vehementer, quod ſcribis, poſſe eam epiſtolam, una cum aliis verſibus exaratis, libro, cujus impreſſio ad exitum feſtinat, adjungi. Neque id futurum arbitror ab re; ſunt enim omnes fere de rebus ſeriis & utilibus ſcriptæ. Doleo, reverſionem tuam ad nos, in vernum tempus differri; ea in primis de cauſa, quod manſionem iſtic valetudini tuæ incommodam maxime experiris eſſe. Verum obedientia, qua voluntatem tuam, ſummi Pont. voluntati ſummittis, ab omnibus morborum periculis te eximet, & ſalvum atq; incolumem ad nos remittet. Quamvis is nunc

rerum eſt ſtatus, ut tibi non modo non ſit dolendum, verum etiam lætandum, quod hinc abſis. Nam multa tuis oculis ſurripiuntur, quæ tibi, Rom. Eccleſiæ, ejuſque dignitatis in primis ſtudioſo, dolorem acerbiſſimum inurerent. Non vides ardentem bello præcipuam Italiæ partem; non urbium nobiliſſimarum agros, incendiis, direptionibus, cædibuſque vaſtatos; non ſceleris nefarii reos viros ſpectabiles, non fidem, tota Italia, anguſtam, ſolutiones difficiles, annonam caram, aliaque etiam pejora, quæ belli calamitas affert: &, quod animum vehementius excruciat ac lacerat, nullus adhuc horum malorum finis, nulla pacis & compoſitionis ſpes; ſed contra, majorum incommodorum metus oſtenditur. Vtinam nobis Deus, ob peccata noſtra iratus, reconcilietur, ac ſit propitius. Proxima Cardinalium comitia incredibili bonos omnes voluptate affecerunt, Ioanne de Lugo in illud Collegium coöptato. Tota enim urbe lætitia agitabatur; quod videbant, virtuti, ac bonis artibus, patefactum ad ſummam amplitudinem aditum eſſe. Hic, quemadmodum noviſſe te arbitror, cui enim ille notus non ſit? ex nobili Societatis Ieſu familia, jampridem doctrinæ, eruditionis, ac probitatis propemodum ſingularis fama, tanquam fax quædam elucet. Annos quatuor & viginti in Gymnaſiis Soc. Ieſu Theologiam docuit; multos, de eadem diſciplina, egregios edidit libros; in his, volumina aliquot, de Iuſtitia & Iure, quæ ceteris anteire dicuntur: concionator adeo præclarus, ut ego, qui concionatores pleroſque jam prope faſtidio, quod eorum oratio fere vel cincinnulis fucoque puerili conſperſa, vel ſententiarum ineptiis referta, mihi ſtomachū moveat, hoc uno audiendo expleri ſatiarique non poſſem. Mei oris imaginem, ſimul ac ea mihi reddetur, quod fore propediem ſpero, mittam ad te. Nam eam impenſe ab illo, qui in æs incidendam curat, exigere, pudore deterreor; verens, ne, ſi flagitator moleſtus interveniam, aliquam apud eum vani vel ambitioſi hominis notam incurram. Vale. Romæ, XV Kal. Ian. CIƆIƆCXLIII.

L. Doctiſſimo

L.

Doctiſſimo religioſiſſimoque viro,

TYRRHENO.

HOdie Chriſto Domino, qui pro nobis homo naſci dignatus eſt, natalitia dantur. More, à majoribus noſtris jam pridem inducto, fit, ut amicis ac patronis hos dies, illius naſcentis memoriæ celebres atque ſolemnes, fauſtos atque felices, à Domino, una cum reliqua vita, precemur. Sed, pleraque pars hominum, qui nihil animo videre poſſunt, ſed, tanquam pecudes, ad oculos omnia referunt, eam illis felicitatem deprecantur, quæ ipſa per ſe veræ felicitatis rationem non habet; eam nimirum, quam in opibus, honoribus, divitiis, longa ac referta voluptatibus vita collocamus; fructus vero & utilitates, quæ ex diebus his feſtis maximæ & innumerabiles percipi poſſunt, nec ipſi intelligunt, nec amicis exoptant. Mitto errorem, in quo verſantur, cum felicitati noſtræ, quæ ſtabilis & æterna eſſe debet, tanquam ſolum & fundamentum, ſubſternunt res fluxas atque fugaces, quæ, quidquid ipſis ſuſtinendum creditur, evertunt ac diruunt. Mitto hoc, inquam; nonne, cum ea amicis cupiunt, (ſi illi ſint ignari, quemadmodum rebus ſecundis uti conveniat,) non tam, miſeris ad felicitatem aditum aperiunt, quam ruinæ periculum ſtruunt? Ego iis, quos diligo, colo, quoſque mihi patronos adoptavi, quamquam illa quoque, ſi ſint viri boni, evenire cupiam, (ſunt enim, ut placere Peripateticis video, ad uſum virtutis idonea, nec ſine illis obtineri ea vita, quæ ab ipſis beatiſſima dicitur, poteſt, vere an ſecus, nihil ad hoc tempus,) attamen multo velim illa magis contingere, quæ divinus hic magiſter, cujus hodie natalis eſt dies, non ſolum verbis, dum vixit, in hominum aures infudit, ſed ſuo etiam exemplo in eorum oculis atque animis eſt conatus infigere; videlicet altiſſimam animi demiſſionem humilitatemque, incredibilem rerum omnium humanarum contemtum, ſummam cæleſtium æternorumque bonorum cupiditatem, implacabile pec-

catorum odium, voluptatum fugam, ærumnarum amorem, deniq; bonam illam, cujus Angelus ad paſtores meminit, voluntatem, eam inquam voluntatem, quæ, Stoicis etiam nota, nihil niſi cum ratione deſiderat, cuique, ut ait Leo, mira eſt cū divina voluntate conſenſio atq; concentus. Quæ non ideo ſcribo, quod putem, ea eſſe mihi notiora, quam tibi, vel quod verear, ne aliquid in te horum deſideretur; nam, & ſermone omnium, & ex tuis ad me literis conſtat, tibi propoſitum eſſe, Chriſti in te ſimilitudinem, quantum poteſt, exprimere; ſed ut oſtendam, quænam mea ſint erga illos vota, quos præcipua quadam obſervantia & amore complector. Quamobrem cum te optatis meis reſpondere jam videam, ſupereſt, ut bonum hoc eſſe tibi perpetuum cupiam, neq; ulla honorum acceſſione, vel terrenarum rerum detractione, deficere; multos inſuper vitæ tuæ annos accedere, quo meritorum tuorum quaſi acervo aliquis ſemper cumulus addatur. Tuæ autem erunt partes, ſi me amas ut dicis, ab hoc divino infantulo, in ſingularis beneficii gratiæque loco depoſcere, ut extremum rerum expetendarum & finem bonorum ea mihi perſuadeam eſſe, quæ ipſe delegit, atque avide arripuit; contra, ea eſſe ducam in malis, vel in rebus non ita multum expetendis, quæ rejecit à ſeſe, ac ne minimo quidem digitulo eſt auſus attingere. Vale. Romæ, VIII Kal. Ian. CIↃ IↃ CXLIII.

LI.

Optimo, ac ſingulari virtute prædito viro,

TYRRHENO.

SEnex ſum, Tyrrhene clariſſime; multa audivi, multa etiam meis ipſe oculis vidi, quæ mihi aperte demonſtrarent vim varietatemque fortunæ, rerum humanarum inconſtantiam, varios incertoſque caſus, inanes hominum labores & contentiones. Sed nulla in re frequentius inſpicere, ac vehementius admirari me contigit, quam in multorum mentis caligine, inſcitia, &, ſi dicendum eſt magis aperte, ſtultitia; qui in rebus expetendis

tendis ea prima ducũt, ſummaque ambitione perquirunt, quæ utrum ſint ipſis utilia nec ne, funditus ignorant: ut jure poſſit illis objici, quod Chriſtus Dominus Zebedæi liberis inquit, *Neſcitis, quid petatis:* quod illi poſtea, malo ſuo edocti, fateri coguntur, nihil ipſis minus expediens fuiſſe, quam id, ad quod obtinendum, ſtudio omni, enitendum eſſe exiſtimaſſent. Ac multos proferre poſſem, quibus, noſtra memoria, id, quo adepto ſe beatos fore putabant, infeliciter ceſſerit: ſed uno Octaviano Raggio ero contentus, cui hodie in Æde, ſacroſancto nomini Ieſu ſacra, juſta perſolvuntur. Hunc amplitudo illa, cujus erat incredibiliter cupiens, quamque multorum annorum laboribus, inanibus, ut eſt mos aulæ, officiis, &c. quod rem continet, multis aliis impenſis obtinuit, paucorum dierum lætitia affecit, magnis laboribus ac ſolicitudinibus auxit, ac celerius, quam per ætatẽ convenire videri poſſet, mortem obire coëgit. Nam, cum in Corſicam navigaſſet, ubi inſignem ac locupletem cathedram obtinuerat, paucos poſt menſes revocatus eſt Romam, cujus ingens deſiderium illũ tenebat. Cumq; ſatis feliciter, anni tam adverſo tempore, Ianuam perveniſſet, ac poſſet, quod reliquum eſſet itineris, terra conficere, maluit ſe mari fluctibuſque committere: ac, ſubito coorta tempeſtate, triremis, qua vehebatur, periclitari adeo cœpit, ut ille certo, haud arbitrario, de ſe actum eſſe exiſtimaret, ut etiam Sacerdoti, qui ibi aderat, peccata confiteretur; cum indecorum Cardinali eſſe diceret, ſine Sacramento Pœnitentiæ ex hac vita decedere. Sed poſtea, tempeſtate ſedata, Romam reverſus, ſive maris agitatione, ſive metu, quo fuerat concuſſus, ſive navigationis incommodo, paucos poſt dies lethalem in morbum incidit, cujus vi oppreſſus interiit. Hæc cum video, & audio, fit ut jam minus memet mei pœniteat, ac minorem in dies dolorem capiam, quod fas mihi non fuerit, ad divitias pervenire, vel ad honores aſcendere; cum in rebus iſtis, ad quas, tanquam ad ſummum bonum, gregatim homines confluunt, multo plures inſint cauſæ dolendi, ſeque excruciandi, quam lætandi gaudendique: ac denique beatos eos judico, qui, virtute armati, omnia præſidia habent in ſe, bene beateque vivendi. Sed

di. Sed ex hac maris tempeſtate, de qua diximus, quæque Raggium afflixit, unum exortum eſt bonum, quod divinam in homines providentiam mire declarat, & illam Chriſti edictionem commendat, qua præcipit, ne nimia rerum, ad vitæ uſum neceſſariarum, ſolicitudine nos premi ſinamus; quoniam, ſi mentem noſtram totam in Deum, atque ad divina ejuſdem mandata exſequenda, conjectam habuerimus, ille daturus ſit operam, ne quid nobis deſit; immo etiam ut ſuperſit, è quo vivamus. Erat in eadem triremi vir nobilis ac locuples, qui periculi magnitudine exterritus, cum exiſtimaret, nihil fere in humanis auxiliis eſſe præſidii adverſus vim tempeſtatis, ad preces, ut in extremo caſu fit, & ad vota confugit, vovitque, ſi incolumi ſibi pedem è triremi referre liceret, ſe virginem pauperculam indotatam ducturum uxorem domum. Cum igitur Romam veniſſet nudius quartus, prope D. Petri Ædem in Cardinalem neſcio quem, rheda vectum, incurrit, ac, ne haberet neceſſe conſiſtere, atque hominem ſalutare, in proximam ibi tonſtrinam ſe recepit; ubi miles quidam levis armaturæ, è cuſtodia Pontificis, caput moleſto ac ſupervacuo capillorum pondere exonerabat: à quo ille petiit, num equum aliquem, qui alicujus eſſet precii, haberet: qui ſe habuiſſe reſpondit, ſed haud ita multo ante interiiſſe; quod factum omnes domeſticas ſuas rationes conturbaſſe; nam ſtatuiſſe ſe, ex mercede, quam ex eo vendito collegiſſet, tres filias nubiles, quas ex uxore ſua ſuſcepiſſet, tribus honeſtis viris nuptui dare. Quod ubi homini ad aures venit, venit etiam in mentem voti, quod Deo nuncupaſſet; decrevitque, ea illud occaſione perſolvere; atque, Duc me, ait, ſodes, ad eas; eamus viſere. nam ſi ita eſt ut dicis, ad eas honeſte collocandas uſui tibi eſſe poſſum in primis. Nulla eſt in me mora, ait miles; præeuntem me ſequere. Ille it, venit, videt virgines honeſta facie; capillus incomtus, nudus pes; texebant una omnes, pannis obſitæ, eoque artificio ſe tuebantur; unde ſciri poterat, quam pudice, parce, ac duriter vitam exigerent. Placuit illi, qui ſpectatum venerat, una præter ceteras; ac ſeductum parentem rogavit, eam ſibi uxorem ut daret. Parens primo, ſe irrideri, exiſtimavit;

quod videbat, ſuam cum illius non æquam eſſe factionem: neque tam filiam in matrimonium, quam in concubinatum poſci ſuſpicabatur; ac, Vide, inquit, quid agas; quamvis res noſtræ ſunt paupercula, attamen exiſtimationis bonæ ita ſumus cupidi, ut quivis alius. Sed cum ille perſancte affirmaret, ſe non deriſum eum veniſſe, unumque inſtaret, ut condicionem acciperet, atque filiam deſponderet ſibi; credidit parens; deſpondit; atque in hunc diem dictæ ſunt nuptiæ. Verum ab illo, ſimul ac domum ſe recepit, nihil factum eſt prius, quam ut virgini duo aureorum millia muneri mitteret, unde ſumtus in nuptias faceret. Quid credis animi fuiſſe virgini illi, cui vix antea obolum unum licebat aſpicere, cum tantam vim auri ſibi ante oculos poſitam cerneret, ut ea uteretur ac frueretur? Credis, potuiſſe eam verbum ullum proloqui, quo illi, cujus tantum erat in ſe meritum, gratias ageret? Obſtupuit, hæſit; quid diceret, non habuit: potius factum eſt etiam, ut incerta animi eſſet, num vigilans, an in ſomnis, ut ſæpe accidit, theſaurum inveniſſet. Mater virginis, præ gaudio, nihil niſi lacrimarum imbrem ab oculis dabat. Hæc eo ſcripſi, ut Dei in homines providentiam, quanta ſit, admiremur. At vide, quam multa in hanc rem concurrerint, ex quibus, tanquam anulis inter ſe nexis, Dei conſilium, quo virginis illius inopiæ ſubveniret, quaſi gemma dependeat; tempeſtas, hominis illius metus, quo periculi magnitudinem eſt coactus voti mercede redimere, Romam acceſſus, Cardinalis interventus, in tonſtrinam receptus, miles qui capillum & barbam tonſori ſecandam præbuerat, virginis aſpectus in quo ille commotus eſt. Hæc mihi ſcribenti nunciatur, veniſſe ad me domum, humanitatis & officii ſcilicet gratia, virum optimum, ſtudioſiſſimum atque amantiſſimum tui, equitem Puteanum. Accurro; prodeo illi obviam; gratias ago. Poſt mutuas ſalutationes & amplexus, imus ſeſſum; & continuo ab eo injecta eſt mentio de te; cœpitque miris in cælum laudibus efferre ſingularem animi tui præſtantiam, ſuaviſſimarum artium ſcientiam, in rebus agendis dexteritatem, tuum denique excellens ingenium, ad omnia ſumma natum; quibus artibus, mire iſtorum hominum vo-

luntates

luntates & ſtudia promeruiſſes ; adeo ut nemo in iſthæc loca venerit, cum ea poteſtate, qua præditus es, quem pluris illi fecerint, quemque ardentiori, quam te, amore complexi ſint ; ploravitque, tuis non reſpondere favorem ſperatum meritis. Cui ego, Hui, inquam, tu mihi eum laudas, cui iſthæc, quæ de illo prædicas, ſunt notiſſima ? ſed novi animi ipſius moderationem, novi hominis ſapientiam, qui ita directum illud ad virtutem iter habet, ut eam propter ſe ipſam expetendam ducat, non ob aliquod præmium ; ut, qui aliter ſentiant, ac propter virtutis præmia putent eſſe ſibi recte honeſteque vivendum, hi non tam virtutem expetere videantur, quam velle eam ſuarum cupiditatum famulam atque adminiſtram habere. Demum ita tum eques diſceſſit à me, ut opere petierit maximo, ſuis ut verbis ſalutem tibi plurimam dicerem, ac veterem ſuam erga te obſervantiam commemorarem. Vale. Romæ, IV Non. Ianuar. CIↃ IↃ CXLIV.

LII.

Clariſſimo doctiſſimoque viro,

TYRRHENO.

PRoximas tuas ad me literas, ſimul ac legi, nulla interpoſita mora, Leoni Allatio, ſummo viro, legendas miſi. Nondum videre hominem potui ; ſed eum arbitror incredibili voluptate fuiſſe perfuſum. Erat enim præter modum cupidus cognoſcendi, num faſciculus literarum ſuarum, in quibus componendis menſem unum & eo amplius elaboraſſet, ad Nihuſium perveniſſet. Cum vero intelligat, non ſolum, eum perveniſſe, verum etiam illi gratiſſimum acceptiſſimumque extitiſſe, fieri non poteſt, quin inceſſerit omnibus lætitiis. Epiſtolam ab Allatio tuam, flagitator moleſtus, recuperavi ; cum nullam tuarum epiſtolarum, diem unum patiar domo mea abeſſe : quas ego, theſauri cujuſdam inſtar, avare conſtructas ac reconditas habeo, ac fidei cujuſquam vix credo. Venio ad me. Nulla eſt cujuſquam oratio, quæ poſſit

tuæ in me humanitatis indulgentiæque magnitudinem verbis comprehendere: nam, quidquid dixerit, minus erit. Equidem, cum in hanc cogitationem ingredior, ad incredibilem admirationem traducor. Quam enim rem, joco, à te tandem volui, quin perfecerim? Taceo alia: non me deterruit pudor, quin à te poſcerem, ut epiſtolæ, quas ad te miſiſſem, ederentur; ac vix hoc petii, cum mihi morem eſſe gerundum exiſtimaſti. At, noli putare, me ulla unquam cupiditate vehementius exarſiſſe, quam, ut eſſet omnibus notum atq; teſtatum, tecum mihi amicitiam uſumque literarum interceſſiſſe. Nam, quid mihi, vel ad exiſtimationem honeſtius, vel ad nominis famam diuturnius, poteſt accidere, quam ſciri, talem ac tantum virum, omnibus naturæ bonis, omnibus omnium virtutum ornamentis inſtructum, tot provinciis atque muneribus, ſumma cum fidei, probitatis, juſtitiæque laude, adminiſtratis, toto orbe Chriſtiano notiſſimum, privati hominis amicitiam non eſſe aſpernatum, ſed potius etiam literis ultro citroque dandis accipiendiſque, perpetuam eſſe voluiſſe? Et quoniam tantum amicitiæ noſtræ indulgendum eſſe ſtatuis, velim, ſi fieri poſſit, epiſtolis illis adjungi eas, quas Nihuſio, Mario, & Puteano dedi. Cujus quidem Puteani me pudet, quod ingenii vires mei minores ſint, quam ut cognitorem tantum ſuſtineant. Qui, in Michalori effigie, quid de me poſſit queri, non video: hominem enim illum antea, ne natum quidem eſſe, noveram; de quo ea ſcripſi, quæ didici ab eis, qui pulcre eum ſibi notum eſſe ajebant. At ſi volumen iſtud epiſtolarum futurum eſt nimis exiguum: quod ego non arbitror; augeatur literis, verſibus ſcriptis: ſin minus, ad ferendum libri Exemplorum tenuitati auxilium opemque, mittantur. Atque exemplum earum literarum, quas ſcripſeras te non habere, ſtatim miſi: quod miror te non accepiſſe. Neque, ut tu ſuſpicaris, epiſtolæ tuæ ſententiam non ſum aſſecutus; non enim tu is es, qui, ut plerique faciunt, obſcure ac perplexe loquaris, ſed complecteris verbis, quod vis, ac dicis plane, quod intelligam. Quod ſcribis, ut ad alios epiſtolas, à me collectas, mittam; ſuperfluum eſſe ac non neceſſarium exiſtimo, ſi, quemadmodum ex ſchedula, ab

la, ab Allatio hodie ad me ſcripta, licet intelligere, Naudæus, una cum orationibus, omnes meas epiſtolas, in quibus, præter admodum paucas quas mitto, illæ numerantur, Cæſio tradidit; quod poterit ex Nihuſio ſciri; cujus eas cenſuræ ſubjicio, ut, me inconſulto, detrahat, addat, mutet, corrigat, faciat, quod lubet; nihil enim hoc mihi gratius ab eo poteſt accidere. Verum, quod ad orationes attinet, ſi ſint imprimendæ, maxime cuperem, eas illis accedere, quas olim adoleſcens edidi, atque eas legendi poteſtatem vix paucis feci, quod pluribus eſſent mendis deturpatæ atque corruptæ. Nam, quamvis verbis efferveſcentibus conſtent, ac paulo nimium redundantibus, quod erat ætatis, denique ſi ſint in eis multa, quæ amputes; quædam tamen ex iis ad eloquentiam indoles, ut multi ajunt, elucet. Eas ego, cum tempus poſcet, ad vos mittam, optime expurgatas emendataſque, P. Iacobi Syrmundi V. C. beneficio; qui tunc temporis, cum eſſet Romæ, hanc ſibi operam, honoris mei gratia, ſumpſerat. In iis epiſtolis, quæ ad te veniunt, ſunt quædam jocoſæ: ut proximis his Dionyſiis habeas, quod ridere poſſis. Quarum una eſt, ad Moonſium ſcripta, de cujuſdam vicini noſtri, Trocho, hoc eſt, Rota nomine, vita ac moribus, qui bona obligurierat ſua, & aliorum, qui ſuam illi pecuniam crediderant. In ea epiſtola notatur Ecloga quædam, ab aliquibus, quos non eſt neceſſe nominare, feſtis Bacchanalibus data, quæ turpis etiam viſa fuiſſet, ſi in lupanari aliquo acta eſſet, ad ſcorta ſordida, diobolaria, quæque, ut Adelphaſium illa apud Plautum loquitur, cœno delibuta, oleant ſtabulum, ſtatumque, ſellam, & ſeſſibulum merum. Inducebatur in ea fabula, qui, nullum eſſe ſuaviorem ſibi cibum ajebat, quam mulierem, quam, ut magis animo ſuo lubeat, verſet, ac vel aſſam vel madidam ſumat. Sed auctor fabulæ, homo ſenex, pœnas dedit, quamvis non meritis illius pares. At multo majores gravioreſque perſolvit Trochus, itidem ſenex, ſed magis, quam quiſquam adoleſcens, flagitioſus ac voluptarius. Nam ſapientis conſilii immemor, qui jubet nos, memores eſſe paupertatis, tempore abundantiæ, primum, Roma abiens, in itinere crus fregit; poſtremo, alienata mente, in quadam villula agri Florentini, in ſum-

in ſumma rerum omnium egeſtate atque inopia, diem obiit ſupremum. Huic epiſtolæ accedit alia, qua reſpondemus reprehenſoribus Ignatii noſtri; quod eſt drama, Etruſca lingua à nobis compoſitum, & à Patribus Soc. Ieſu, regio apparatu ſumptuque, populo datum, in Æde nomini Ieſu ſacra, menſe Iulio CIↃ IↃ CXL, qui fuit annus, à Societate fundata, centeſimus. Illud etiam in tuis literis ſignificare videris, tibi eſſe in animo, non ſolum epiſtolas, verum etiam puncta moralia, ex Euangeliis Dominicorum dierum excepta, quæ præ manibus habeo, commendare per alios typographis. Quod ſane mihi perquam gratum; deprehendenti videlicet amoris tui, quoquo me verto, veſtigia. At, quoniam ſcire poſtulas, in quam molem evaſurum ſit illud opus, ſi imprimatur; ſuperabit, ut opinio mea fert, magnitudine Pinacothecam & Exempla. Nam, quamvis puncta ipſa breviter explicentur, acceſſerunt tamen ad ea Homiliæ, & ſermones nonnulli, habiti à me in Sodalitate noſtra, in qua tu olim dicendi laude floruiſti. Supereſt, ut de oris imagine tibi reſpondeam. Ego, quantum pudor meus patiebatur, inſtiti, ut ea, delineatoris artificio, tanta ſubtilitate, ad ſimilitudinem veri expreſſa in æs incideretur, ut illam animi quoque picturam eſſe diceres. Sed, qui negocium ſuſcepit, homo, in aliis quoque rebus occupatus, atque ita tardus, ut ex ipſa mora natus videatur, diem ex die ducens, me vana ſpe luſit, & uſque ad hoc tempus, promiſſis oneratum attraxit. Sed cum mihi reddetur, à nemine admonitus, mittam eam ad te. Verum, eſt aliquid, quod volui ſcribere, & ſum oblitus; de eo nimirum quem, proximis ſuperioribus literis narravi, votivam & indotatam uxorem duxiſſe; cujus rei, tum multos graves viros, tum rumorem ipſum auctorem habebam. At vetus eſt, quod dicitur, rumorem ſemper vero aliquid addere. Sed in hoc nimis ille quidem eſt progreſſus: nam cum percrebuiſſet, ſponſum duo aureorum millia muneri novæ nuptæ miſiſſe, inventum eſt, fuiſſe ducenta. Quamobrem, ne mendacii aliquando argui poſſim, jube meas literas corrigi, & pro duobus millibus ducenta ſcribi. Vale. Romæ, pridie Id. Ianuar. CIↃ IↃ CXLIV.

LIII.

Clariſſimo viro,

TYRRHENO.

HOccine credibile eſt,aut memorabile, (liceat mihi, ab his Poëtæ comici verbis,ſcribendi exordium capere, cum id, quod narrandum eſt, poſſit fruſtrationes in comœdiis dare ;) hoccine, inquam, credibile eſt, tantus cuipiam innatus ut ſit aſtus & malitia , & tam aſtutum & callidum, ad eludendos alios dolis, ingenium ! Nam niſi id illi à natura contingeret, nulla poſſet arte ac diſciplina, non ſolum dolos atque fallacias , verum etiam os, colorem,ac linguam ſibi parare, qua aliis verba per deridiculum daret , ac pecuniam , mulierem , vel aliquid aliud ; aut, quod aſtute volviſſet in corde, pulcre explicatum reddere. Sed hic philoſophandi non eſt locus: ad fabulam venio. Ille, de quo antea ſcripſeram , vir domi ſuæ nobilis, Cardinalem Raggium propinqua cognatione contingens, ille,qui tantas ſe divitias habere jactabat, ut neſciret quid faceret auro , ille , qui adverſa maris, quod nunquam fortaſſe ingreſſus fuerat , tempeſtate jactatus , ad virginem ignobilem , pauperculam , ac ſine dote , ſecum matrimonio jungendam , voti ſe religione obſtrinxerat , ac tam bonam tamque locupletem conditionem,ad militis illius prætoriani levis armaturæ filiam detulerat, qui primum dictus eſt, puellæ aureorum duo millia,deinde ducenta,ſed in ſomnis,miſiſſe, quibus acus, ligulas, flores, & alia capitis ornamenta coëmeret ; hic, inquam , demum inventus eſt nebulo , in primis malus, callidus, doctus , ac nimis graphicus ſycophanta. Nam, ea ipſa hora, qua miles ſuam ipſi gnatam deſpondit,cum nullam haberet domum , præter tabernam diverſoriam, nullum cubile , niſi mercede conductum , ſe in illius domum immerſit , neque antea pedem inde foras extraxit, quam ut aliam urbem perſequeretur,in quam ſuas fallacias afferret, alios palumbes exquireret, quos dolis deciperet ; ſimulans, id ſe cognatorum cauſa facere , quibus ſi quid oboleret , illico nuptiis illis vaſtitas , pernicies,

exitium

exitium inſtaret. Sed quia neceſſe eſt aucupi, facere ſumptnm, avibus cibum offundere, neque is ſumptus eſt ab re aucupis, quod aves, ſi ſemel ſint captæ, rem illi ſolvunt; ideo quotidie inducebat, in domum ſoceri, bajulum, onuſtum œnophoris vini præſtantiſſimi, & opiparis delicatiſque obſoniis; quæ omnia, credita pecunia, à caupone emebat: cui os poſtea cum aliis una ſublevit. Itaque omnes, ocioſi ab animo, ſe apud menſam plenam nitide lepideque curabant: quo fiebat, ut pleniores indies coloratioreſque evaderent: quæ res, multorum, ad invidendum, animos commovebat, qui eandem ſibi fortunam expeterent: nam rebus aliorum ſecundis invidetur. Interea, in Æde Vaticana D. Petri, à Parocho edictiones ad populum habebantur; ut, ſi quid compertum cuipiam eſſet, quod obſtaret, quo minus illæ nuptiæ fierent, id celatum ne haberet, ac palam efferret. Quibus habitis, cum nemo accederet, Parochus erat auctor homini, ut virginem, ſibi deſponſam, matrimonii nexu conſtringeret, atque operi extremam manum imponeret. Verum ille, variis excuſationibus rem prolatando, ac diem ex die ducendo, Parochi dicta eludebat. Sed cum ille inſtaret, urgeret, ut nuptiæ fierent, pollicitus eſt tandem, nullam in ipſo moram futuram; ſed quatriduum concederet ſolum; nam ſibi tranſcurſo opus eſſe in portum Centumcellarum, quo navem perveniſſe acceperat, quæ aurum, & veſtem ſponſæ, & cælatum argentum optimum, præterea ſtragulam veſtem, aliaque non parum multa afferret, quibus ædes, quas eſſet conducturus, inſtrueret, ac pro ſui nobilitate generis exornaret, veſtem etiam, unde Parochus malacum à ſe pallium & tunicam, ex tenuiſſima lana Hiſpanica confectam, acciperet; quæ mercedem illi eſſe volebat aſſiduitatis & moleſtiæ, ſi quam ſuſceperat. At Parochus, cui nunquam evenirent tales hereditates, omnes illius excuſationes recepit, &, ut quamprimum ſe itineri commendaret, oravit. At malus, ſponſæ digito, quem illi dederat anulum, detraxit, velle enim eum aurifici tradere, quo, interea dum abeſſet, quatuor aliis adamantibus augeretur: tum, quia erat hyems, ne viaticatus æſtive illud iter arriperet, mutuas à pluribus pecunias

accepit, ab uno ſcuta decem, ab alio quinque, ab alio ſex,& ab aromatario quodam octuaginta; cui, quoniam ſibi cautum eſſe volebat, arculam quandam pignori oppoſitam reliquit,in quo plura continebantur,ſeorſum ſingula ſuis involucris contecta, ac pluribus vinculis arcte colligata atque conſtricta, tum nominibus rerum, quæ in eis continebantur, inſcripta; verbi gratia, Hoc integumento clauduntur tornli, ſive orbiculi aurei ducenti, Hoc torques triginta auro gemmiſque diſtincti, Hoc uniones trecenti, orbe, candore, ac lævitate præſtantes: ac, ne ille fucum ſibi fieri exiſtimaret, ſolutis vinculis, rejectiſque involucris, ſarcinulæ unius ex illis, ſerica tibialia ibidem conſtructa ac ſepoſita profert. Aromatarius credit, nec ſibi amplius eſſe quærendum putat. Ille arculam claudit, obſignat, pecuniam accipit, diſcedit, equum à ſocero poſcit, impetrat; quin etiam ſocer, honoris ejus gratia, famulum ſua mercede conducit, qui ſe eidem comitem addat, omnibus in rebus morigerus ſit, equumque procuret. Sed paucos poſt dies famulus redit, ſine ſponſo, &, quod refert, ſine equo; nunciatque, hominem, intempeſta nocte, clam omnes ſurrexiſſe, ac feciſſe id, quod olim ſervi nequam facere ſoliti erant; & cum mane illuxiſſet, neque ipſum neque equum eſſe viſum, neque potuiſſe ſciri, quonam verſus caſtra moviſſet. Quibus auditis, tum demum, qui aderant, magnum illum ſycophantam, ſe vero fungos, bardos, ſtipites fuiſſe, intellexerunt, qui ab eo ſe, tanquam pecudes, duci ſuſtinuiſſent. Sed miſer in primis miles vicem ſuam dolebat, cui nulla cenſoris animadverſione, ſed furis improbiſſimi opera, equus fuiſſet ademptus, atque inde ab equitibus ad pedites reſcriptus. Solus aromatarius nihil plane commotus eſt, qui ſe arcula illa prædivite, quaſi altera Euclionis aula, tutum eſſe arbitrabatur: ac ſecum, Niſi mihi, inquit, recte caviſſem, in eadem, qua miles iſte, ac ceteri, qui mutuitanti crediderunt, iniquitate hæſiſſem; ò quantum eſt, ſapere in loco! non enim paſſus ſum mihi verba dari, ſicut iſti: quibus non plus ſapientiæ adfuit, quam ſui occiſæ; cum homini externo, ignoto, fidem habendam eſſe duxerunt, quod bene veſtitus incederet, ac magnifice de ſe loqueretur. Verum,

cum

cum daret operam, apud judicem, ut, teſtibus præſentibus ac ſcriba, aula recluderetur, inventum eſt, integumentis illis, partim lapillos, partim vitri fracti fruſtula, partim fœnum, ac laceros pannos includi. Itaque ſapiens aromatarius, ſuam ſibi ſapientiam decoxiſſe; omnium cum riſu, cognovit. Hem tibi omnem fabulam. Ac, ne me exiſtimes ſapientiorem aliquando fuiſſe, quam iſtos, quos ludos factos eſſe ajo; velim ſcias, ad eundem ſcopulum me navem olim offendiſſe, cum in aula Card. Peretti verſarer. Nam cum mane quodam in procœtone ſolus inambularem, fit mihi obvius quidam, cujus cum faciem, inceſſum, veſtitum aſpiceres, videbatur eſſe quantivis pretii. Rogat me, num Iulius (is erat Cardinali à cubiculo) eſſet domi. Reſpondeo, ſi tantulum ibi manere voluiſſet, ſe eum eſſe viſurum. Interea cœpit ille mecum ſermones variis de rebus habere, ſed ea ſententiarum gravitate, eo verborum pondere, eo oculorum conjectu, ut Tit. Coruncanium, vel Catonem, vel Scævolam, vel aliquem alium ex veteribus illis, qui ſapientes habiti ſunt, tecum loqui dixiſſes. Denique, ſe virum eſſe patricium dixit, Veronæ ortum, ac velle à Iulio illo ſcuta quindecim mutua petere, quo ſalinum argenteum, pulcherrime factum, ac pignori oppoſitum, redimeret, ac venderet; jamque emptorem eſſe inventum. Sed dum ſermones cædimus, adeſt quem volebat; ac vix tria inter ipſos verba faciunt, cum copulati ad me veniunt; loquitur Iulius, ſibi non eſſe argenti copiam, quod mutuaret amico, verum, magnam me ab illo gratiam initurum, ſi illud dediſſem: nam ſtatim, vel argentum, vel ſalinum reddidiſſet. Poteram illi his verbis reſpondere, Quæ tibi eſt, item mihi eſt, argenti inopia; ſed non ſum auſus hoc facere: ac meo famulo pecuniam enumeravi, imperavique, ut cum illo iret, nec inanis domum reverteretur, ſed vel argentum, vel ſalinum referret. Abiit, redit, pecuniam refert. Tum cœpit me mei ipſius pudere, quod viro fidem non habuiſſem, ac vehementer optare, beneficio aliquo, factam illi injuriam emendare. Sed non fuit mihi expectandum diutius; paucos enim poſt dies venit ad me, ut alia ſcuta quindecim ſibi mutuo oranti dem, quibus patellam argenteam, cum emblematis

egregio opere factam, redimeret, quæque mihi ante noctem redderet. Quid multa? non ita ille malebat accipere, ut ego dare. Itaque gaudens, oblatam mihi eſſe occaſionem,qua poſſem illi gratificari, confeſtim argentum, quod poſcebat, ſine ullo teſte enumero. At videre erat oris illius contumaciam, & contemtorem animum. Ita pecuniam illam accipiebat, ut me beneficio videretur afficere, quod eam mihi eriperet. Veſper adeſt; maturius, quam antea,me domum recipio, ne ſim in mora, utque argentum, mihi renumerandum, accipiam. Sed nihil erat me neceſſe ea cauſſa currendo rumpere ramices: nondum enim pecuniam redditurus advenit. Abiit unus dies, alter, multi: convenio hominem; rogo,quid agat, ut valeat,num ægre ſibi fuerit eos dies,quibus non eſt viſus. Ille, O te, inquit, quærebam; jam oſtendam, quanti te faciam: volo tecum bonum quoddam communicare, cujus ne parentem quidem meum, ſi reviviſceret, participem facerem. Admotaque ad ſacculum manu, libellum foras extraxit, ac, Cape, ait: hic continentur ſigna ac notæ, quæ in iis deprehenduntur, qui ſupplicio ſint afficiendi; ac Veronæ, ubi ob meam nobilitatem, omnium mihi carcerum fores patebant, in omnibus, qui ſuſpendio necabantur, vera ea eſſe cognovi; accipe igitur theſaurum hunc,atque in ſecretiore aliqua arca abſtruſum ac reconditum habe, ne cujuſquam inſidiis pateat. Ceterum de argento verbum nullum. Tum ego commotus, Quid mihi, ajo, cum iis, qui crucibus dantur? quid tuo mihi opus eſt libro, quaſi ego phyſiognomon eſſe velim, qui me profitear, hominum mores, naturas, vitæ exitus, ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoſcere? ego, cum primum manum ad crumenam admoviſti, putabam, te velle mihi pecuniam, quam debes, exſolvere: ſed nihil niſi verba à te mihi dari video, eaque quæ nihil ad rem attinent. Verum ille, paulum elatus ira, Quaſi, inquit, tuis ego nummulis indigeam; poſt triduum ea mihi argenti copia erit, qua tibi, non modo pauxillulum iſtud nummorum quod petis, exſolvam, verum etiam centies tantum dono dem. Atque eadem opera epiſtolam mihi legendam tradidit, in qua erat ſcriptum, proximis literis, ſcuta quingenta ipſi eſſe
mitten-

mittenda, ex fructibus, neſcio cujus fundi, collecta. Credo; abeo; neque quidquam domum niſi ſpem refero. Sed hæc quoque occiſa ſpes eſt: nam cum ſcuta illa eſſent lymphatica, in itinere hac illac dilapſa ſunt, nec Romam pervenire potuerunt. Vix, ab hoc meo cum illo ſermone, dies viginti interceſſerant, cum eſt ad me allatum, eum fuiſſe conjectum in vincula, accuſatum, quod Paulo v. Pont. Max. venenum paraſſet: nam veneficus eſſe dicebatur. Tum vero plane vehementer extimui, verens, ne, quo me argento defraudaret, tunicam mihi aliquam, vel ſubuculam, ſanguine centauri tinctam, mitteret, quæ, ſicut Herculi, viſceribus inhærens, cum cruciatu vitam adimeret. Sed aliquanto poſt eundem audio, quæſtione habita, cum nihil confeſſus eſſet, è vinculis exemptum fuiſſe, ac brachiis fere comminutis, in malam rem abiiſſe, neque potuiſſe ſciri, quonam fuga ſe contuliſſet. Habes epiſtolam plenam inaniis, cum ſerii, quod ſcriberem, nihil occurreret. Reliquas epiſtolas non antea mittam, quam quis certum faciat mihi, num Cæſius à Naudæo epiſtolas omnes acceperit. Vale; atque hos dies, amœnitati lætitiæque dicatos, hilares ſume. Romæ, x Kal. Febr. CIↃ IↃCXLIV.

LIV.

Clariſſimo doctiſſimoque viro,

TYRRHENO.

SChedula, tuo chirographo ſcripta, ac Nihuſii literis, ad me & ad Leonem Allatium datis, inſerta, longæ cujuſdam epiſtolæ mihi inſtar fuit. Nam paucis verbis multa complectitur: quorum ſingula miram mihi voluptatem afferunt. Primum, quod caput eſt, cum tua manu exarata ſit, indicat, te bene valere: cumq; te maximis & graviſſimis occupationibus eſſe diſtrictum narret, quã iſtic utilis ac neceſſaria tua opera ſit, prorſus enunciat. Deinde, cum Exemplorum impreſſioni extremã manum additam fuiſſe referat, ſummam tuam erga me humanitatem & ſtudium, in ſuſcipiendis iis, quæ ad exiſti-

mationem meam tuendam augendamque pertinere videantur, ante oculos ſtatuit. utinam hic liber, cum in ejus, cui eſt inſcriptus, nomine apparebit, atque in hominum manus perveniet, juventuti utilitatem aliquam afferat. & certe ſumus conati prodeſſe. neque melior ad id ratio occurrit, quam ſi iis, qui legerint, proponeremus, quid malis mali, & quid bonis boni evenerit; ut, tanquam in ſpeculum, in aliorum facta inſpicerent, & ex aliis ſumerent exemplum ſibi, illudque præſertim intelligerent, ut unuſquiſque ſementem fecerit, ita metere. per hanc rationem, multos audivimus ac legimus, ad frugem rediiſſe, quorum anteactæ vitæ vitia multis poſtea ſunt emendata virtutibus. Tum, in eadem ſcriptum eſt ſchedula, ubi plus ocii nactus eris, curaturum te, ut popularium tuorum notitia, quorum vita digna eſt, quæ, in exemplum alicujus virtutis, poſteritati tradatur, ad me perferatur. quamquam in hac re nihil eſt opus feſtinatione: non enim iſtud vel aliud opus antea exordiar, quam ea, quæ ſunt exorſa, detexam. Poſtremo in ea additur, ſcriptum à nonnullis eſſe ad Nihuſium, de epiſtolis ad te meis, typis imprimendis; de quo magnas illis gratias ago; neque dubito, quin illud, ab eo reſponſum ſint ablaturi, quod ſit voluntati noſtræ accommodatum. ita ejus eſt benignitas. Næ ego longius impudentia progredior, qui tantum optimis iſtis oneris audeo imponere. At vide, quantum ſucci in tua illa brevi ſchedula inſit; cui ſi volui reſpondere, tot mihi verbis neceſſe fuerit uti. Neque verendum eſt, ne illa, quamvis exigua ac minuta, diſpereat; nam eam volumini epiſtolarum tuarum adjungam, quod ego ſub ſigno habeo, ſervoque diligentiſſime. Vale. Romæ, IV Non. Febr, CIↃ IↃ CXLIV.

L V. Clariſſi-

LV.

Clariſſimo doctiſſimoque viro,

TYRRHENO.

CVm mihi tuæ ſemper literæ gratæ ſunt atque jucundæ, tum, quas proxime ad me dediſti, voluptatem prope maximam attulerunt. Eam enim rem nunciant, cujus eram in primis avidus cognoſcendi, quamque ſuperioribus meis ad te literis ſignificaveram; num videlicet Cæſius à Naudæo epiſtolas & orationes meas, ſicut ille ad Allatium ſcripſerat, accepiſſet. Nunc autem, cum ita ſe rem habere intelligam, vehementer gaudeo, tibique gratias ago, qui primus hanc mihi voluptatem objeceris. Scripſeram, ut orationibus, ſi eas prælo dare conſultum eſſet, illas Cæſius adjungeret, quas olim adoleſcens, juvenili audacia ductus, Romæ imprimendas curaveram, quaſque innumeris prope mendis deturpatas, etiam nunc domi meæ finibus clauſas habeo, ne foras egrediantur, ſuiſque ſordibus vomitum aliis excutiant. Quæ orationes, quamvis non tam re, quam ſpe & expectatione, laudem aliquam mereri videantur, ea tamen, quæ in illis ad eloquentiam indoles enitet, non nullam poteſt lectoribus voluptatem afferre: quam ego indolem ſi uſu & exercitatione excoluiſſem, neque incultam reliquiſſem, fortaſſe, ſi non ad eloquentium, ad diſertorum tamen numerum aggregarer. Ab omnibus eas mendis expurgatas mittam, ut in viri cujuſpiam eximii nomine appareant. Epiſtolas quidem ad te meas, cum eo auctario de quo ſcripſi, cupio, ſeorſim ab aliis, typis mandari, ſi placeat; ut ſint æternum, meæ in te voluntatis, officii, ac reverentiæ monimentum. Petis deinde, ut, crebris ac longiuſculis literis, tibi eſſe voluptati non deſinam. At hic mihi locus videtur eſſe apertus, me tibi purgandi, vel potius à te poſtulandi, ut mihi ignoſcas, ſi interdum epiſtolas ineptiis, aut inaniis, tua gravitate & negociis, quibus diſtineris, indignis oppleverim: nam, tecum ut quaſi loquerer, tibique, qui longas à me epi-

ſtolas poſtulabas, facerem ſatis, illud neſcio quid nugarum ſcribere inſtitui. At, ſi genus hoc ſcribendi tibi eſſe inviſum, vel ſaltem ingratum, agnovero, totum abjiciam, eoque amplius non utar; neque committam, ut jure accuſare me poſſis. Liber Exemplorum, cum Romam mittetur, expectatus adveniet. Vtinam eo plauſu excipiatur, quo Pinacotheca. Sed nomen Illuſtriſſimi noſtri Chiſii, apud omnes notum & clarum, quo ille cohoneſtatur, non minimam eidem, ut ſpero, omnium benevolentiam & gratiam conciliabit. Vale. Romæ, Non. Febr. CIↃIↃCXLIV.

LVI.

TYRRHENO,

Clariſſimoque doctiſſimoque viro.

CRedo ego, te mirari, me, qui tot annos tam crebras tamque longas ad te epiſtolas ſcribere ſolitus ſim, jam diu nihil literarum dare. Sed literarum notæ, quibus hæc epiſtola exarata eſt, quæ ſunt ita inconcinnæ, ita diſtortæ, quivis ut, qui aſpexerit, non minus facete, quam Plautinus ille Pſeudolus in Phœnicii epiſtolam luſit, ſuſpicari poſſit, gallinam, ſi habent quoq; gallinæ manus, eas ſcripſiſſe; hæ, inquam, tam invenuſtæ literarum notæ, veram tibi ſilentii mei cauſam aperient; eamque non pigritiam, aut negligentiam, ſed adverſam valetudinem ſuſtinere probabunt. Quæ adverſa valetudo, non caput, non renes, non latera, non pedes, ſed dexteræ manus indicem, cujus præſertim opera ad ſcribendum utimur, eſt aggreſſa, in eoque ita pertinaciter hæret, ut ejus excruciandi finem nullum faciat. Ac, ſi aves ſcire, quiſnam caſus tantam vim morbi in digitum illum invexerit, breviter dicam. Cum vellem tegmen ex corio, libro, unde ruptis vinculis fugerat, acu rurſus adjungere, & corium illud eſſet durius, quam ut acu illa trajici poſſet, cœpi ego, homo ad ſutoriam artem non aptiſſimus, dexteræ manus indice eam impellere. Sed foramen acus, qua eam parte impellebam, ſe immergens in digitum,

tum, non leve eidem vulnus inflixit. Quod ego ſtatim ſenſi; ſed vitioſa quadam mea ad medicos offenſione atque faſtidio, nolui, in eo vulnere curando, cujuſquam illorum opera uti. Sed me temeritatis meæ non leviter poſtea pœnituit. Nam, biduo poſt, digitus præter modum intumuit, ac febres mihi moleſtiſſimas, doloreſque non ferendos adduxit; adeo ut neque interdiu neque noctu pars quietis ulla contingeret. Sed aliquot poſt dies febris abſceſſit, digiti tumor paululum deſedit, dolores mitius mecum agere cœperunt. Verum digiti durities ac rigor, ad ſcribendi munus adhuc nequit inflecti. Ac vereor, ne hac corporis parte perpetuo futurus ſim mancus, ac debilis; nam fieri vix poteſt, quin illius foramen acus, dum digitum penetraret, in aliquem nervum incurrerit, eundemque gravi quapiam injuria affecerit. Illud vero ridiculū, quod magna manus pars, in quam, cognationis, vel potius vicinitatis, ut ita dicam, jure, digiti calamitas influxerat, tanquam proſerpens beſtia, priori pelle rejecta, novam induerit. Verum cum hoc loco res eſſet, neque ferre poſſem, me tecum diutius in hoc ſilentio manere, quod vererer, ne apud te, hominem in perſequendis officiis diligentiſſimum, aliquam ruſticitatis vel inurbanitatis notam ſubirem, volui experiri, num, ſi non eo, quo par eſt, alterius ſaltem digiti ope auxilioque, poſſem ad te ſcribendi munus explere; atque digito medio, indicis partes attribui, ut, una cum pollice, tanquam ſocietatem ad ſcribendum iniret: atque multo malui tibi in formandis delineandiſque literis inſulſus ridiculuſque videri, quam in ſuſpicionem inurbanitatis ruſticitatiſque venire. Verum, non hac tantum in re, ſed in aliis pluribus, hic mihi annus fuit adverſus. Etenim jurare liquido poſſum, me ſceleſtiorem rebus meis annum nunquam vidiſſe, quam hic mihi annus obtigit. Primum, digiti me dolor, de quo dixi, percuſſit: tum, in ruſticani hominis, vafri ac veteratoris, fraudibus hæſi; qui mihi miſtum pro mero, vel potius aquam pro vino, ingenti precio vendidit. Sed ego ſimplex, quique meo ex ingenio alios æſtimarem, Patri cuidam, ex Congregatione Oratorii, notiſſimi nominis, credidi, qui prædonis mihi impuriſſimi integritatem

ac

ac fidem miris in cælum laudibus extulit. Sed fortaſſe bonus ille vir exiſtimabat, rem agi Ravennæ, ubi miſtum quam merum, aqua quam vinum, carius multo divenditur. Illud mihi ægre eſt, quod hoc ejuſmodi infortunium in ſumma rei nummariæ difficultate obtigit; nam alia cella vinaria exornanda eſt, ſiquidem ea uti velim. Deinde, meus famulus, cum maxime ejus mihi opera neceſſaria eſſet, ex ſcala lignea, quam inconſulte conſcenderat, decidit, & aliquot in locis caput atque os humi perfregit. At longum eſſet omnia enumerare, quæ mihi hoc anno tetre & infeliciter ceciderunt. Sed æquo animo ſunt ferenda. Nam infinitis prope paſſibus graviora atque acerbiora multa pro nobis paſſus eſt Chriſtus; cujus cruciatuum ac mortis hoc tempore feſtos dies anniverſarios agimus. At vide, quam levibus in rebus, quæque ad rem nihil attineant, inſuetum operi ac labori digitum defatigem; quem, ob eam tantum cauſam, indicis muneri vicarium ſuccedere volui, ut te ſtatus mei certiorem faceret, atque ipſe interruptum amoris noſtri & officii mei iter aliqua ratione reciperem. Quamobrem feſſum jam, omni illum labore exſolvo; & à te, quanta maxima vi poteſt, efflagito, ut amorem mihi tuum ſarctum tectum, nullaque ex particula imminutum exhibeas. Vale. Romæ, XIV Kalendas April. CIↃIↃCXLIV.

LVII.

Clariſſimo doctiſſimoque viro,

TYRRHENO.

NOvam provinciam, à ſummo Pont. tibi commiſſam, vehementer gratulor. Atque haud ſcio, an major tibi ab eo honor haberi hactenus, aut gravius de tua virtute judicium fieri potuerit. Neq; ſpem ullã video, qua te celeriter, ut cupis, expedire ex iſtis occupationum laqueis, in quos conjectus es, poſſis. Nam aliis nullam eſſe voluntatem audio, ſe iſtuc quamprimum conferendi; credo, quod hyemis ſævitiam metuant, atque itineris longiſſimi pericula pertimeſcant. Moleſtum eſt mihi vehemen-

hementer, librum Exemplorum adhuc Romæ non conſpici; qui efflagitatur à multis, ac præſertim à viro docto, tale opus quoque moliente, quem tibi notum eſſe arbitror. Literarum notæ, ineptæ ac pueriliter ductæ, tibi erunt indicio, nullum adhuc mihi dexteræ manus indicis uſum poſſe contingere. Atque major mihi metus impendet, ne, quod reliquum eſt vitæ, hujus ſit digiti uſu carendum, quam ſpes in poſterum ſalutis ulla oſtenditur. Sed, quidquid Dei voluntas tulerit, æquo erit animo accipiendum, atque ferendum; neque, inanem ad repugnandum operam ſumendo, committendum, ut, more gigantum, velle cum eo bellare videamur. Interim hos dies, Chriſto ab inferis reſurgenti ſacros atque ſolemnes, tibi evenire feliciter cupio. Vale. Romæ, VII Kal. April. CIↃ IↃ CXLIV.

LVIII.

TYRRHENO,

Viro longe clariſſimo.

PRofectionem tuam, in Weſtphaliam, fortunare Deum volo, perficereque, ut te quamprimum, re confecta, ad nos recipias. Quod ſi contigerit, eum reliquis tuis egregiis in Remp. cumulum meritis addes, vix ut quidquam illis adjici poſſit: neque, cum ornatus eris ex tuis virtutibus, (nam honor, virtutis eſt præmium,) audies populum admurmurantem indignantemque, eos, quos minime deceat, honoribus amplificari; ſed fauſtis omnium acclamationibus excipieris, neque quiſquam erit, qui non fateatur, quidquid in te ornamentorum ſit collatum, digno in loco collocatum ac poſitum eſſe: quo, nihil tibi honeſtius poteſt accidere. Nobis tandem, ut ex aliis accepiſſe te arbitror, pax atque ocium contigit, Cardinalis Bichii, popularis tui, opera atque labore, ex Reginæ Galliarum auctoritate, comparatum; qui, anni tam adverſo tempore, atque hyeme ſumma, nulla ſalutis ſuæ ratione habita, longis ac periculoſis itineribus, communis utilitatis gratia,

non dubitavit ſeſe committere; ac ſæpius, ex Italia in Galliam, ex Gallia in Italiam, eſt profectus, ac modo Venetias, modo Florentiam, modo Mutinam, modo Parmam, modo Romam, ſe contulit; ut, æquis condicionibus, pax componeretur. At quanto fuiſſet ſatius, has turbas neminem commoviſſe, ſed nos multa diſſimulaſſe, non nihil prætermiſiſſe, non neceſſe habuiſſe omnia pro noſtro jure agere, pacem bello, ocium negotio, antepoſuiſſe! At quid eſt actum his tragædiis? nihil, niſi ut pulcherrima orbis terræ pars, ſumma Chriſtiani nominis & Catholicæ religionis hoſtium cum voluptate, cædibus, incendiis, rapinis, vaſtaretur, æraria exhaurirentur, populi acerbiſſimis exactionibus, capitum atque oſtiorum, funditus fere perderentur. Nemo enim eorum, qui inter ſe armis decertarunt, palmo uno agri factus eſt ditior; ſed in pacis conditionibus actum, ut, quæ ab unoquoque fuerant occupata, veteribus dominis reſtituerentur; ſed, ut eæ terræ ſolent, in quibus bellum acerbum diuturnumque verſatum eſt, deſerta, horrida atque deformia, ſed minus multis colonis & habitatoribus belli, ejuſdem calamitate ſublatis, celebrata, denique ita affecta, ut vix, ac ne vix quidem, centum annorum opera atque labore, recreari ac refici queant. Atque, hæc ita fore, facile erat cuique mediocriter prudenti conjicere. Verum Deus, peccatis noſtris vehementer inſenſus, paſſus eſt eos, à quibus cupiditates noſtræ infringendæ ſunt, iræ, quæ ulciſcendi libido eſt, ſeſe permittere. Sed, ut, ab hac triſtitia ſermonis, paulum ad hilaritatem animum avocemus; ſuperfluum ac non neceſſarium exiſtimo, te, ſingulari frugalitate ac prudentia virum, commonefacere, ut, cum in Weſtphaliam veneris, à cœnis illius regionis caveas: quæ ita ſunt cereales, ita opiparæ, ita ſaliares, ita ſtruicibus patinariis refertæ, ut Sybariticæ menſæ, quas in exemplum prodigioſæ luxuriæ prodidit antiquitas, neque pleniores neq; uberiores fuiſſe perhibeantur; ita in longũ productæ, ut, quos plerunq; ſol occidens convivium ineuntes aſpiciat, eoſdem exoriens, gnaviter illud proſequentes, intueatur. In una harum cœnarum hæſit, hic Romæ, amicus quidã meus. Nam invitatus à Barone quodam ex Weſtphalia,
quem,

quem, in ſuo ludo, ſaltationibus ac ludicra armorum tractatione exercebat, (erat enim laniſta, ac ſaltator in primis,) promiſit, magis id adeo, ut cognoſceret, quidnam cœnæ illæ, ad quas ille Baro noſtras ne comparandas quidem ajebat, afferrent, quam ulla edendi bibendique cupiditate. It, venit, accumbit; atque ecce tibi, longa ferculorum pompa ſe offert, à veſpere uſque ad mane alterius diei. Ferebantur in patinis obſonia, ex omni fere genere terreſtrium beſtiarum ac Neptuni pecudum, quas anni tempus dabat, non ea ratione condita, qua vulgus coquorum utitur, ſed novis & nobis incognitis condimentis. Narrabat ille mihi ſigillatim omnia; ſed ego homò, qui nullum in iſtis rebus ſenſum habeo, quique dignus fui, qui tum naſcerer, cum nondum fruges eſſent inventæ, neque potui, neque operæ precium eſſe duxi, ea memoria excipere, atque complecti. Ordinem etiam, quo edulia veniebant in menſam, enumerabat: non enim temere alia aliis ſuccedebant; ſed ea, quæ poſſent ſuperioris faſtidium abigere, ac convivas, ut facetiſſime Horatius inquit, in morſus reficere. Quid vero dicam de vino, quod convivii caput eſt, & in quo, apud iſtos homines præſertim, fere ſunt omnia? Sed, ut de eo nihil loquar, facile ſit cuivis exiſtimare, non minorem in eo comparando, quam in ceteris rebus, diligentiam ſumptumque fuiſſe adhibitum. Nam tot erant vinorum genera numero, quot eduliorum; neque liberum erat cuiquam poſcere, ſibi dari quod vellet; ſed illud erat bibendum, quod ſingula fercula comitabatur, atque aliquam cum illis ſuavitatis rationem habebat, lene, aſperum, leve, dulce, atrum, album. Ac nihil in eo convivio deſideratum eſt, quo proxime ad veterum magnificentiam videretur accedere, præter miniſtros coronatos, tibicines, & funalia. At, quid negocii fuiſſet, iſthæc quoque præſtare, ſi temporum iſtorum mos ita ferret? Denique, ne te diutius teneam, exitus fuit ejuſmodi, ut ille miſer, qui fuerat cupidus cognoſcendi, quid ſibi cœnæ ex Weſtphalia darent, inter manus, è convivio, ſine mente ac ſine ſenſu, auferretur. Nam tantum vini hauſerat, tantum cibi adhibuerat, ut neceſſe habuerit, octo dierum inedia,

cra-

crapulam exhalare, & quod crudum habebat in ventre, concoquere. Sed næ ego impudens, qui, ocio abundans, tibi, homini occupatiſſimo, tam diu meis ineptiis jocíſque moram objiciam. Quod de ſcriptis meis imprimendis me admones, ut occaſionem tam bellam, mihi oblatam, arripiam, urgeam, atque uti ſciam, ut dicitur, foro; pergratum mihi eſt in primis: ac, Nihuſio adjutore, qui, quæ ejus eſt benignitas, ſuam ad hanc rem mihi operam pollicetur, in id ſtudium vehementer incumbam. Et æquum eſt, nos, qui laudis cupidi ſumus, quoniam, ut memoras, poſt cineres gloria ſera venit, omni ope eniti, ut vivi gloriola noſtra perfruamur. Qua tum frui nos exiſtimabimus, cum epiſtolæ, quas ad te dedimus, à ceteris ſeorſim impreſſæ legentur. Nihil enim tam me ad ſpem quandam immortalitatis rapit, quam, omnium ſeculorum poſteritati eſſe teſtatum, tecum mihi amicitiam interceſſiſſe, ejuſque conjungendæ cauſam non aliam fuiſſe, niſi virtutem. Vale. Romæ, prid. Idus Aprilis CIↃ IↃ CXLIV.

LIX.

Clariſſimo ſapientiſſimoque viro,

T Y R R H E N O.

MOnaſterium Weſtphaliæ ſalvum & incolumem perveniſſe te gaudeo; atque, ſi nos conjecturis moveri fas eſt, ex die quo iſtuc acceſſiſti, quo die, olearum, in quibus pax deſignatur, rami parantur, ut poſtridie poſt ſacras illis preces, ſanctiſſimis ceremoniis, adhibitas, populo in Eccleſia diſtribuantur; ex hoc, inquam, die licet conjicere, atque in ſpem magnam venire, negocium, de pace, inter Chriſtianos Principes, proſpere ac feliciter ſucceſſurum. Atque nihil eſt tam optandum, quam ut Deus, in cujus manu eſt, voluntates Regum, quamcunque velit in partem, impellere, (nam *cor regis in manu Domini*,) eam Principibus iſtis, quorum animi, ſtudiorum ac voluntatum diſſimilitudine, inter ſe diſſident, mentem injiciat; ut belli, intus à cu-

à cupiditatibus ſuis, ipſis illati cauſas evellant, ut ſedata & tranquilla ſint omnia, ac ratio præſit, appetitus obtemperet: nam continuo pax illa, cui conficiendæ tanta à vobis iſtic opera datur, terrarum orbi ſuccedet. Sed interea, dum animi ſunt in motu ſuarum cupiditatum, unde omnia in nobis bella oriuntur, dum perturbationum tenebris obducti, à rationis lumine deſeruntur, quænam poteſt pacis ociique lux fulgorque ſplendeſcere? Sed ego ſtultus, qui tecum hac de re philoſophari audeam, qui præceptorum iſtorum plenus es totus. Itaque ad me venio; ad quem ſcribit Nihuſius, epiſtolas & orationes, Pariſiis Io. Cæſio allatas, ſe legiſſe, quas ſibi dignas videri ait, ſi ita mea voluntas ferat, quæ ante alia opera typis excudantur. Cui ego reſpondi, non ſolum eandem mihi eſſe ſententiam; ſed etiam ita facto opus eſſe, quo meæ ad te literæ, unde mihi, quia ſunt ad te ſcriptæ, nominis immortalitatem auguror, vel una cum aliis epiſtolis, vel, quod malim, ſeorſim à ceteris imprimantur. Quæſo te, ſi me amas, ſi meus tibi honor eſt cordi, ut hac in re omnes nervos auctoritatis induſtriæque tuæ contendas, mihique, famæ, ex hominis clariſſimi amicitia adipiſcendæ, in primis cupido, animum expleas. Binas alias literas mitto, quæ illis, augendi voluminis gratia, jungantur: unas, ad Stephanum Vajum, epiſcopum Cyrenenſem, atque hoſpitalis domus S. Spiritus in Saxia Præceptorem, ac modo Baſilicæ Vaticanæ Canonicum, in locum Cecchini, in Collegium ſac. Rotæ Auditorum cooptati, ſubrogatum; ad quem ſcribo, de incredibili hominum concurſu, in Ædem D. Mariæ in Vallicella facto, cantuque ſymphoniæ, quo die Eques Loretus Victorius, meus vicinus, muſicus omnium præſtantiſſimus, ac pene divinus, primum ſacrum fecit: alteras, ad Marium Villanum I. C. & olim Quæſtoris pontificii à cognitionibus, ſcriptas. Vale; meique, qui cæleſtis opis auxiliique in primis egeo, in tuis ſacrificiis, & incenſis caritate precibus, eſto memor. Romæ, XIII Kalendas Maji CIↃIↃCXLIV.

LX.

Clariſſimo ſapientiſſimoque viro,

TYRRHENO.

NÆ ego non ſolum incommodus, verum etiam inhumanus, ſim habendus, ſi tibi, graviſſimis in rebus occupato, hoc eſt, pacis communis procuratione diſtricto, longis, ut antea, literis moram ac moleſtiam exhibeam. Quamobrem poſthac paucis officium, quod tibi à me debetur, exſolvam. Doleo vehementer, negocium in quo verteris, tam multis difficultatum nexibus implicari, ut, quemadmodum etiam hic à prudentiſſimis viris dici audio, aliqua humana ratione explicari vix queat. Supereſt exorandus ille, qui eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum, quique ſolus poteſt voluntates hominum, quamcumque velit in partem, impellere; ut belli cupidos, ab armis ac dimicationibus, ad pacis ociique ſtudia convertat. Sæpius fueras mihi auctor, ut facultate, à Nihuſio ac Cæſio mihi oblata, mei propagandi nominis, uterer. Tandem, auctoritate tua impulſus, feci, quod juſſeras; atque hominum illorum animos mire in me propenſos invenio. Nec mora ulla in iis eſt; immo, ut, proximis ad me literis ſignificavit Nihuſius, epiſtolæ cœptæ ſunt typis excudi. Inſtant, urgent, ut, ſi quæ ſunt mittendæ, mittantur. Vtrum eæ, quas ad te ſcripſi, ad illos pervenerint, nec ne, certi nihil potui ſcire: ſed ſi adhuc ſunt apud te, præſertim illæ ſex, verſibus ſcriptæ, peto à te majorem in modum, ut eas, quamprimum poteris, mittas, quo una cum ceteris imprimantur: intemperans ſum enim in hujus rei cupiditate, ut noſti. Rumor, de Legati ad vos profectione, adhuc perſeverat: ajuntque, eorum, qui dominantur, hanc eſſe ſententiam, omnino ut abeat; ideoque quamprimum, niſi ſi quid inter cæſa & porrecta, ut veteres ajebant, occurrat, eum, communis boni cauſa, mandata facturum. Quod præterea ad te ſcribam, non habeo; niſi, hic Romæ, à Fratribus Dominicanis, novi

Gene-

Generalis creandi cauſa, comitia haberi, cum ſummus Pont. P. Nicolao Rodulphio, per epiſtolam cui Brevi nomen eſt, magiſtratum illum abrogaverit. Vale. Romæ, VII Kal. Maji CIↃIↃCXLIV.

LXI.

Clariſſimo doctiſſimoque viro, TYRRHENO.

REdditæ mihi ſunt uno tempore à te epiſtolæ duæ, quarum in altera dies erat adſcripta XVII Kalend. Maji, in altera, quæ erat recentior, XIII Kal. ejuſdem menſis. Reſpondebo igitur ſuperiori prius. In qua ſcribis, te mirari, quod jam diu nihil à me literarum accepiſſes. Quæ res quamvis negligentiæ deſidiæque me videatur arguere, ea tamen accuſatio, atque querela, magnum mihi cedit in bonum. Eſt enim indicio, quanti me facias. Nam quod precium, in æſtimatione tua, habeat is, cujus gratia ab iis curis, quibus premeris, aliquid ſpacii ſurripias, ut de eo cogites, ut ad eum ſcribas, ut crebras ac longas ab eo literas exigas? At quibus negociis, Deus bone, diſtineris? Iis nimirum, quibus nulla, neque graviora neque majora, eſſe poſſunt, ut orbi terrarum, jam diu variis bellorum motibus exagitato atque concuſſo, conſilio tuo atque prudentia opem feras, atque perpetuam eidem pacem ociumque, ſublatis diſcordiis, parias. Atque utinam non id benevolentiæ ſit potius tuæ, quam judicii, teſtimonium. Nam qui modus eſt amoris, idem eſt æſtimationis. Sed, ſive error ſive veritas hanc mihi apud te æſtimationem pepererit, non eſſe quærendum arbitror, cum utrumque ſit mihi honeſtum atque glorioſum. Cuinam futurus ſit vilis ille, qui tibi, tanta apud omnes exiſtimatione, aliquo eſſe in precio videatur? Itaque non eam tibi opinionem conabor adimere, &, quanti vere ſim, aperire; ſed ipſe mihi aſſentiar, eaq; in me fingam, quæ à te tribui video. At tuum erit cavere, ne, quantum mihi precii conaris adjungere, tantundem tibi, ſi verum aliquando detegatur,

tur, tanquam non æquo alienæ facultatis æſtimatori, detrahatur. Illud mihi dolet, non eam vim ingenii, non eam orationis facultatem & copiam fuiſſe conceſſam, qua tuas in cælum laudes efferre, meiſque ſcriptis mandare omnium ſeculorum memoriæ poſſim. Verum, ad id neque alterius cujuſquam opera à te magnopere deſideranda eſt. Quid enim quæras foris, quod abunde habeas domi? Etenim tu, non ſolum recte faciendi ſed & bene dicendi magiſter, melius quam quivis alius potes, quæ cum aliqua ſummæ prudentiæ, integritatis, continentiæ que laude præſtiteris, literis conſignata poſteritati relinquere. Nunc ad alteram epiſtolam venio, in qua multa, quæ mihi hoc anno gravia contigerunt, cohortatione tua facere leviora conaris. Et ſane aſſequeris id, quod vis. Nam ita me comparavi, ferre æquo animo, quæcunque Deus adverſus animi mei ſententiam immiſerit; eoque magis, quo propius abſum à morte, quæ cuncta mortalium mala diſſolvit. Sed, ut verum fatear, cetera omnia adverſa, quæ tecum in epiſtola mea conqueſtus ſum, atque alia etiam nonnulla quæ tacui, ludus jocuſque fuerunt; præut, quam acus illius malignitas meo digito calamitatem invexit. Etenim non poteſt adhuc inflecti; ſed riget: ac vereor, ne id, quod reliquum erit vitæ, in hac ſim incommoditate hæſurus. Sed, ut antea dixi; ac tu etiam ſapienter admones, quidquid à Deo immittitur, eſt ferendum. At, ſi quid, joci cauſa, petulantius ſcripſerim, ejus nunc pœnas pendo. Quod ad mei oris imaginem attinet, quoniam ita expeti video, ex archetypo, qui in bibliotheca Equitis Caſſiani Puteolani ſervatur, eam brevi in pagella deſcribendam, atque ad te mittendam curabo. Nam delineator ille Germanus, qui anno ſuperiore, octo vel decem dies continuos, quinas ſingulis diebus horas, quo me, quam maxime ad ſimilitudinem veri poſſet, exprimeret, omnibus crucibus exercitum habuit, atque opus tunc egregie quidem perfectum reddiderat, nunc variis me promiſſis & excuſationibus duxit, nec adhuc præſtare, quod promiſerat, voluit: & quod mirum magis videatur, Syrii fratres, quorum ſumtibus, delineatoris illius opera fuerat conducta, cum idem ſæpius, à me rogati, promiſiſſent,

ſiſſent, in eadem ſunt mora, ne dicam vanitate, verſati. Vale; & memor noſtri, ſicut facis, vive. Romæ, VIII Kal. Iunii CIↃIↃCXLIV.

LXII.

Clariſſimo ſapientiſſimoque viro, TYRRHENO.

PLane deeſt, quod ſcribam. Quod non abs re mihi contingit, quoniam ad te brevior jam in ſcribendo cupiam fieri; dubitans, ne tibi, homini occupatiſſimo, longitudine mearum literarum, quæ nihil ferme niſi nugas habent, non ſolum moleſtiam afferam, verum, impudentiæ meæ odio, ſtomachum etiam moveam. Eſſet mihi pergratum in primis atque jucundum, te curis illis, quibus iſtic implicitus detiueris, ſolutum ac liberum, hic Romæ conſpicere, amplecti, colere, ac venerari: ſed, ſi iſthæc tibi provincia amplitudini gloriæque futura eſt, hac me voluptate carere, æquo animo patiar. Card. Legatum, vulgo ajunt, in Vrbe manere, nunc præſertim, cum, quotquot ſunt ubique terrarum Cardinales, Romam confluunt, ex Hiſpania, Germania, Italia; immo, quod non ſpero, in morbum incidiſſe. Sed, per Deum immortalem, quid eſt, in quo glorioſius noſtra conſumi poſſit induſtria, quam ut orbi terrarum, tot jam diu bellorum tumultibus exagitato, pax, tranquillitas, ociumque reddatur? Quam pacem, Dei beneficio, Italiæ partam, ſi quis eſt, qui conetur dirimere, ac rem rurſum ad certamen contentionemque deducere, huic profecto mens ſuperbiſſima & carnifex animus ineſt; cum ſine ulla ſpe emolumenti cujuſpiam, quod reliquum nobis ſuperioris belli calamitas fecerit, eripere, noſque fundis, familiis, ac vita ipſa everſos, funditus ire perditum properet. Tu, cui ob inſignem probitatem, juſtitiam, ceteraſque bonas artes, Deum obtemperaturum arbitror, (nam ejuſmodi generis hominum deprecatio multum valet,) illum comprecare, ut id nobis bonum, quod elargitus eſt ſemel, velit eſſe perpetuum,

neque cujuſquam malignitate intercipi ſinat. Sed ego rationem promiſſi mei, de brevitate literarum, non exſolvo, ſed longius in ſcribendo, quam pollicitus fueram, prodeo. Meum igitur curſum inhibeo, ac, ne mendax inveniar, me ad promiſſi mei terminos revoco. Vale. Romæ, Kal. Iunii CIↃ IↃ CXLIV.

LXIII.

Doctiſſimo clariſſimoque viro,

TYRRHENO.

BReviſſimis tuis literis breviter reſpondebo. Quamvis ætas mea decurſa, jam diu me à ſcribendis verſibus avocet; quamvis deforme mihi videatur, canis anniſque obſitum, ſe feſtiviſſimis lepidiſſimarum Virginum choris inſerere, & ſtellis nebulam ſpargere candidis; quamvis, id quod meæ ætati conveniens eſt magis, ſolutæ orationi meum omne ſtudium dederim, omniſq; mihi cum Cicerone res ſit, nec Poëtas, tanquam alia quadam lingua locutos, audeam attingere: tamen, quo tibi obtemperem, à cujus juſſis recedere, nefas eſſe exiſtimo, intermiſſam exercitationem paululum repetam, ac Muſas orabo, ut tantiſper me, capite candido, inter ipſas verſari patiantur, dum ſtudiis tuis obſequi conor. Non poſſum, quamvis brevis eſſe cupiam, quin tibi rem admirabilem, quæ nuper Romæ contigit, cujuſque ego ſum teſtis, exponam his literis. Inventum eſt, quemadmodum calculoſis, ſine ulla ferri ope, ſuccurratur: quæ res, omnes eorum rationes evertit, qui ab illis calculum manu moliantur extrahere. Eſt quidam è familia Hoſpitalis domus S. Spiritus in Saxia, ex eo Piſtorienſium genere, quos Plautus, per jocum, Paniceos vocat, mihi ob vicinitatem longe notiſſimus. Huic, ſeptem ab hinc annis, calculus mali tantum invexerat, ut medicamentis vinci non poſſet. Itaque ſtatuit, ſe Io. cuidam Trullæ, qui magnam, ex calculoſis ſectione curandis, famam ſibi confecit, curandum committere. Quæ res illi feliciter atque ex ſententia ſucceſſerat. Verum, aliquot poſt annos,

nos, ad eundem ſcopulum navem afflixit, ac laborare periculoſius cœpit. Quamobrem cum acerbiſſimis veſicæ doloribus ita premeretur, ut ferre non poſſet; ſtatuit, homo jam prope decrepitus, rurſus opem à ſectione depoſcere, atque ultima experiri; &, quamvis, in ea curatione, vita ſibi eſſet ponenda, mortem in lucro, non in damno, putare; quod præſtaret, ſemel antea, quam millies, mori. Itaque jam illi cum chirurgo de mercede convenerat, jam teſtamenti tabulas obſignaverat, jam aliquot diebus, victu corpus præparaverat. Sed pridie quam ſecaretur, in variis Vrbis eccleſiis, plura Sacra facienda curavit; in primis in æde, D. Franciſci ſtigmatibus ſacra. Quo cum ſacerdos quidam, ſacrum facturus, caſu veniſſet, rogatus eſt ab æditu o, ut pro calculoſo ad Deum preces effunderet, cui poſtridie ferro calculus eſſet extrahendus. Cui ille, Poſtquam ſacrum confecero, duc me, ait, ad illum; nam volo experiri, num, ſine hac tam præcipiti medicina, poſſim homini ſubvenire. Eunt, veniunt, ac ſummis hominem doloribus conflictantem inveniunt. Cujus ille, qui eo ſe juſſerat adduci, miſertus, Age, inquit, da mihi cyathum, vini plenum. Iubet ſtatim æger proferri, exiſtimans, ad ſedandam ſitim ab eo depoſci. At ille, neſcio quid pulveris, in vinum immiſit, atque ægro hauriendum tradidit. Res mira; non ita multo poſt ſoluta eſt homini alvus; ac, doloribus omni ex parte ſedatis, urina, cui plurimum arenæ ſubſideret, emiſſa. Nimirum, pulveris illius vi, calculus fuerat minutatim conciſus, & ſimul cum urina redditus. Proxima nocte, altus eum ſomnus excepit, nec, ad auroram uſque, dimiſit. Quæ poſtquam illuxit, validus vegetuſque ſurrexit, ad Ædem D. Petri ſe contulit, ſcalas aſcendit, cum antea, ne digitum quidem, pedem poſſet altius efferre; ac, poſitis humi genibus, Sacro interfuit. Hæc volui te ſcire, ut, ſi quando, quod Deus avertat, rurſus hoc morbo tentari te ſentias, ſcias, unde, contra illud, auxilium petendum ſit. Vale. Romæ, III Non. Iunii CIϽ IϽ CXLIV.

Nicivs Tyrrheno.

Hodie à prandio, quo tempore, nullum audivi eſſe ad impetrandum aliquid aptius, Muſas conveni, rogavi, obſecravi, tuum etiam nomen interpoſui, ut mihi, ad id quod eſſet à te imperatum, operam darent. Nihil vidi illis faſtidioſius, nihil à me alienius. Vt multa verba fecerunt! ut lenta materies fuerunt! Tandem, tundendo, atque odio, perfeci, ut ſe mihi darent, ad ea quæ vellem. Tum capita argumenti, à te miſſi, oſtendo; rogo, ut eorum ſingula, ſingulorum diſtichorum ambitu, complecterentur. Sumunt, legunt; ac pene ſtomachantes, Næ tu es impudens, ajunt, qui illud poſtules, quod vix conceſſum ſit Deo, ut tam multæ res, ex tam lato campo, in brevem gyrum compellantur. Sed cum inſtarem, urgerem, ut experirentur, ut mihi oranti, ſi non mea, tua ſaltem cauſa, non deeſſent; Vt lubet, ajunt, abſolvamus hunc vomitum; ſed ea lege noſtram tibi operam pollicemur, ut eligamus ea, quæ in ſingulis capitibus ſint potiora, cetera omittamus. Atque hos verſiculos, quaſi ludentes, effuderunt. Quos amico tuo tibique minime placituros ſcio: ſed id tibi erit exemplo, ut, ſi quid poſthac, in hoc genere, recte curatum velis, iis mandes, qui majori ſint apud Muſas in amore & gratia; non mihi, qui me illis eſſe inviſum & odioſum ſentio. Vale.

Primus dolor.

Siſtit Olympiadæ Firminam lictor; at ille,
Dum ſtudet amplecti, protinus obriguit.

Primum gaudium.

Sanat Olympiaden; ſacroque in fonte lavatum,
Gaudet, pro Chriſti nomine, obire necem.

Secundus dolor.

Mœſta dolet, quod turba, colens ſimalacra deorum,
Ad Stygias, recto tramite, currat aquas.

Secundum gaudium.

Se plures, Firmina, Deo peperiſſe, triumphat;
Præfectique domum, carnificemque ſuum.

Ter-

Tertius dolor.

Virginis innocuum nudatur corpus amictu;
Oraque purpureis erubuere roſis.

Tertium gaudium.

In cruce nudatum Chriſtum, cum nuda tuetur,
Nudari, pro illo, jam putat eſſe decus.

Quartus dolor.

Proh dolor; impetitur pugnis, quod caſta recuſet,
Quem prece comminuit, ſe dare thura Iovi.

Quartum gaudium.

Lætatur, crebro faciem ſibi verbere tundi,
Quo Chriſtum referat, livida facta magis.

Quintus dolor.

Diſcerpi virgis magno ſibi membra dolore,
Fractaque mortiferis ſentit hiare plagis.

Quintum gaudium.

Verbera cum ſubeunt Chriſti, virgæque, flagella;
Gaudia ſuccedunt; cura dolorque fugit.

Sextus dolor.

Rurſus nuda datur, flavos ſuſpenſa capillos;
Membra dolor macerat; corripit ora rubor.

Sextum gaudium.

Vt pennis, elata comis, ad ſidera ferri
Se putat, & ſponſo jam propiore frui.

Septimus dolor.

Lampadibus, nivei laxantur pectoris artus,
Aſt anima in cælum, qua via facta, fugit.

Septimum gaudium.

Læta eſt in flammis, quod ſit jungenda Mariæ,
Quæ ſepteno itidem functa dolore fuit.

LXIV.

Maximo clariſſimoque viro,

TYRRHENO.

CVm te ſcribis, per partes, datas à me tibi literas, Nihuſio edendas mittere, magna me ac propemodum incredibili voluptate perfundis. Ineſt enim in hoc nuncio lepos, plane magnus atque jucundus; quod nihil tam impenſe unquam optaverim, quam extare apud omnes perpetuum aliquod meæ erga te obſervantiæ teſtimonium, ſimulque eſſe omnibus notum atque perſpectum, quantum me tibi debere profitear. Quod ſi perſuaderi etiam poſſit, ut illis velis eas etiam, quas verſibus ſcripſimus, addere, explebis omnem deſiderii mei expectationem: nam hæ quoque, quamvis poëtico ſtylo exaratæ, epiſtolarum nomine ſignantur. Quibus hæc velim accedat epiſtola, quam ad Nihuſium ſcribo; ſi tamen ea tibi digna videbitur, quæ in tuum atque illius conſpectum veniat: ſecus autem, ea auctoritate imperioque, quod in me meaque omnia habes, cenſoris ſeveriſſimi partes ſuſcipias volo, ejuſque audacia atque impudentia graviter acerbeque cohibita, probri cauſa, de aliarum quaſi ſenatu amoveas, neque ad Nihuſium eam pervenire patiaris. Quamquam jam prope ſtatuerim, omnino à ſcribendis verſibus abſtinere; quod totum hoc ſcriptionis genus ſit plane alienum ab ea ætate, ad quam me natura perduxit. Etenim alia ætas, ut alios mores, ita etiam alia ſtudia poſtulat. Deinde, cum me noverim ad poëticæ facultatis ſtudia non aptiſſimum, ſapienter faciam, ſi me contineam, & ad alias artes, quibus ſim aptior, transferam, Horatiani illius præcepti memor, *Tu nihil invita dices facieſque Minerva.* Sed, ſi te arbitraris, inquies, iſto pacto ut prædicas, cur ea, quæ inepte ſcripſeris, tantopere mandari typis exoptas? Vt nimirum appareat, me, omni genere monumentorum meorum, eſſe conatum, addictum tibi, ob tua maxima in me merita ſingulareſque virtutes, animum meum, omnium

ſecu-

ſeculorum memoriæ ſignificare. Quod, qui reſciverint, improbaturos non eſſe confido: nam,ſi artem ridebunt, conatum laudabunt,voluntatem extollent. Liber Exemplorum, cujus frontem, graphice eleganterque delineatam, aſpexi, nondum apparet. Quod ſatis mirari non poſſum; præſerim, cum jam ſex menſes facti ſint, poſtquam fuit impreſſus. Doleo, Daniæ Regis cauſa, in nova bella diſtracti, intermiſſum eſſe agi de pace; quam cupio, in leges omnibus Chriſtianis Principibus æquas, perquam celeriter confici; quo te, cui omnes homines favent, ex tuis virtutibus ornatum, quamprimum Romæ videre poſſimus. Vale. Romæ, XVII Kal. Iulii CIƆ IƆ CXLIV.

LXV.

Doctiſſimo clariſſimoque viro,

TYRRHENO.

HEri, ego & Hugo Vbaldinus, Baſilicæ Vaticanæ Archidiaconus, profecti ſumus ad cœnobium Carmelitarum diſcalceatorum, ut F. Io. Baptiſtam Vrſinum, Ducis Brachiani fratrem, ſalutaremus: quicum unà horam, & eo amplius, fuimus. Et ſane navavi operam, quod illuc veniſſem. Nulla enim cujuſquam oratione ita recreatus ſum,ut illius ſermone: nulla unquam voluptas bene de me meruit magis,quam ea quæ ex morum illius ſuavitate mihi contigit. Nunquam memet mei magis pœnituit, quam cum, tanquam in aliquod ſpeculum, in illum inſpexi, qui, etiam tum adoleſcens, cum poſſet in ſumma rerum omnium abundantia vivere, in maximis voluptatibus eſſe,ac nitidiſſime ſe curare, relictis rebus omnibus, ſpretis ac contemtis voluptatibus,neglectis opiparis cœnis,arctiſſimum illud vitæ amplexus eſt genus, in quo, non modo non quidquam genio concedat, ſed multa naturæ ac neceſſitati deneget; ubi, ſi ſit iter faciendum, non rheda vel equo vectus, ſed pedibus ipſe ſuis incedat, ubi, ſi ſit corpus cibo reficiendum, non delicatis obſoniis, non nitidiuſculis illud epu-

lis

lis, ſed oleribus ac leguminibus, quorum ne nomen quidem ferre antea poterat, curet; ſi ſit cubandum, non lectulo, ſerica vel aurea veſte contecto, non ebore fulto, non culcita plumea ſtrato, non linteis, tenuiſſimo filo contextis, inſtructo, ſed rudibus ac brevibus tabulis confecto, ſtramenticia culcita conſtrato, ac ſuis veſtibus indutus, utatur. Res plane mira, & in qua Dei in nos miſericordia & virtus in primis eluceat: qui antea, cum opulento opibus, cum delicato deliciis, cum elato ſuperbia, contendebat, nunc mutatis moribus, cum abſtinente, frugalitate, cum paupere, inopia, cum humili, omni demiſſione animi, certat; neque alia re magis reprehenditur, quam quod ſit nimium in ſe aſper ac durus. Atque hoc eſt cæli regno vim adhibere; cujus, violenti, non ſegnes, non remiſſi, potiuntur. Nam quæ major inveniri vis poteſt, quam cupiditates frangere, libidines domitas habere, animum ab his rebus avellere, quæ, arctiſſimis eum vinculis captum, ſibique implicitum detinent? Neque dubitandum eſt, quin hac vi, cæli arces expugnaverit Fr. Io. Baptiſta, Capuccinus, qui IX Kal. Iunii, hujus anni, eſt mortuus. Hic, olim Dux Mutinæ, paupertatem divitiis, imperium obedientia, aulam cœnobio, precioſas veſtes cilicio, mutaverat. De cujus extrema ægritudine, ac morte, hæc à Fratribus ſui ordinis, qui eidem ægrotanti morientique adfuerunt, ferme narrantur. Cum, Idibus Maji, incidiſſet in febrim, ſtatim lethalem eam eſſe intellexit; tum quod omnes cibos faſtidiret, ac reſpueret; tum quia Fratri cuidam Ioſepho Mariæ, ipſi ſocio, ex acuta febri laboranti, omnia caritatis officia præſtitiſſet. Quæ febris cum nulla medicamentorum vi minui poſſet, ſed quotidie amplior fieret, medicus, jam ad ultima ventum, nec ſpem ſalutis reliquam eſſe, pronunciat. Quod cum ille recepiſſet, adeo commotus non eſt, ut totus hilaritate redundaverit; &, convocatis Fratribus, omnibus audientibus dixit, nullum ſibi unquam nuncium fuiſſe allatum, cujus magis particeps fieri cupierit, & in quo major lepos ineſſet. Tum, cœnobii cuſtodem, quanta maxima potuit ope, rogavit, ut veſtem, quæ eſſet ceteris attritior atque vetuſtior, afferri ſibi juberet, in qua Deo ſpiritum redderet,

ac ſe-

ac ſepultura afficeretur: velle enim ſe, quantum fas eſſet, Sancto Seraphico Patri ſuo Franciſco ſimilem eſſe. Quod factum eſt ſtatim. Sed cum ille manum ad cucullum admoviſſet, ut eam, qua erat indutus, ſibi veſtem extraheret, idque ægre, amiſſis magna ex parte viribus, faceret; voluerunt eam fratres vel conſcindere vel diſſuere. Id quod ille non eſt paſſus: quod diceret, æquum non eſſe, eo damno pauperem illam domum affici; tum, mirum videri non debere, ſi cum, una cum Imperio, tot facultates & commoda poſuiſſet, illud neſcio quid incommodi laboriſque ſuſciperet: & qua vi potuit, eorum qui aderant ope adjuncta, eam ſibi detraxit, atque alteram induit. Sed (mirum) alvus, quæ largius antea fluxerat, ſuppreſſa eſt ſtatim. Tum, peccata quædam, palam admiſſa, deprecatus eſt; quamvis à nonnullis, in quibus illi offenſi eſſent, mala mens ac malus animus abfuiſſet; quorum illum maxime pœnituiſſe, illud præſertim indicio eſt, quod hebdomade ſancta, longo quatuor millium itinere, ſummoque incommodo, quod flumen, frequentibus imbribus vehementer auctum, eſſet tranſeundum, ad egregium quendam ſui Ordinis concionatorem, eruditũ in primis ad doctum, ſe contulit; cui totius anteactæ vitæ peccata, intimo animi dolore, aperuit. Verum, cum rurſum peccata ſua Patri alteri confeſſus eſſet, quem, extremo illo caſu, ſibi confeſſarium elegerat, quemque rogaverat, ut ſibi, ſupremo illo tempore, non deeſſet, ſacram Euchariſtiam ſumſit, cum antea ſumiſſis ac pene intermortuis vocibus confeſſionem recitaſſet; quod etiam fecit cum ſacro perunctus eſt oleo. Inter hæc admonitus eſt ab illo confeſſario, ut Ioſephum à Leoniſſa, cujus & B. Felicis imagines ante oculos depictas habebat, deprecatorem ſibi, apud Deum, valetudinis impetrandæ gratia, adhiberet. Qui negavit, id fieri ullo modo poſſe; quod ſumma ejus Patris voluntas eſſet, ad cæleſtem ipſum gloriam ſocium & conſortem adhibere in poſterum diem. Nondum fuerat illi allatum de ſocii morte, jam in ſepulcro conditi, cum, Vnus, inquit, eſt defunctus, in templo, cui ego mox futurus ſum comes; ſed antea, nimirum poſt horam, P. Sextulam videbo. Nec dicto fides abfuit: nam vix hora interceſſerat ab hoc ſer-

mone

mone prædictionis illius, cum P. Sextula adeſt, quem cum introeuntem cubiculum aſpiceret, plenus gaudii lætitiæque, Bene, inquit, ſit P. meo Sextulæ, qui mihi omnibus in rebus præſto fuit: etenim, quemadmodum è ſeculo ducem ac magiſtrum ſe mihi præbuit, ita nunc, è corporis cuſtodia diſcedenti, ſocietatemque carnis ejicienti, parat iter in cælum. Multiſque verbis ultro citroque habitis, pſalmos hymnoſque concinens, ſeptimam circiter horam noctis, ſine aliquo doloris ſenſu, extremum ſpiritum ſuo edidit creatori; annos natus tres ſupra quinquaginta; in caſtro S. Ioannis, quod eſt oppidum Carſenianæ ſeu Graphenianæ vallis, ſub Apennino. Non ita multo poſt, venit Regium Lepidi, ad P. Viceprovincialem Bononiæ, Canonicus quidam regularis, Bernardo nomine, religioſæ ſacrarum Deo virginum familiæ à Confeſſionibus, ob probitatem bona apud omnes exiſtimatione; qui juratus affirmabat, ſuperioris diei Dominici nocte, cum jam ferme dies appeteret, ſe vidiſſe, per quietem, Capuccinum quendam, lanea indutum veſte candida, ſibi terga obvertere; ſed cum experrectus lecto deſiliret, tandem noviſſe, eum eſſe P. Io. Baptiſtam: qui, converſa in ipſum facie, multa luce coruſcante, gratias ipſi agebat; & cum accurreret, ut, poſitis humi genibus, ejus ſeſe pedibus advolveret, evolaſſe illum ab oculis, neque amplius eſſe viſum; verum tantam ipſi vim divinæ dulcedinis in animo reliquiſſe, tantamque lætitiam, ut ea totus difflueret, nec poſſet conſiſtere: deinde, volventi ſecum in corde, quodnam ob meritum ipſi gratias egiſſet, nihil occurrebat, niſi quod in confeſſionibus eos graviter objurgaſſet, qui minus commodos de illo ſermones habuiſſent; id quod etiam pridie ejus diei fecerat. Hæc, inopia argumenti, ſcripſi, quod nollem mei oris imaginem, quam mitto, ſine meis literis ad te venire. Vale. Romæ, VIII Kal. Iulii CIↃIↃCXLIV.

LXVI. Clariſſi-

LXVI.

Clariſſimo præſtantiſſimoque viro, TYRRHENO.

HEri, XIII Kal. Auguſti, redditæ mihi ſunt binæ à te literæ, cum menſem jam ferme integrum nullas accepiſſem. Quod miratus tum fui valde; & quoniam res plena timoris eſt amor, cœpi ſubvereri, ne incommoda utereris valetudine: interdum veniebat in mentem, eam tibi negociorum molem objici, ut non eſſet ſpacium de me cogitandi, nedum ad me ſcribendi. Sed tandem, ancipiti cura diſtractum, fecerunt me tuæ literæ certiorem, & te bene valere, neque, quo curis, quibus premeris, locum des, mei memoriam ex animo ejeciſſe. Quorum utrunque incredibili me voluptate complevit. Fuit mihi gratiſſimum munuſculum tuum, imaguncula S. Ioſeph, animam agentis; cujus aſpectu illa me cupiditas acrius incendit, quæ ſola, extinctis ceteris, animum urit; nempe ut moriatur anima mea morte juſtorum, & fiant noviſſima mea illorum ſimilia. Cui rei nulla alia ratio oſtenditur, niſi, ut eundem vitæ curſum teneamus, quem illi, nihil cupiditatibus ſuis largiendo, in ſummo corporis labore atque animi contentione confecerunt. Nam nemo eſt, qui juſtorum ſibi ſimilem exitum vitæ non concupiſcat: ſed paucos invenias, quos illorum vitæ ratio delectet. Exigis à me præterea crebras ac longas literas; neque excuſationem poſthac aliquam te accepturum, vel occupationum tuarum, vel rerum, quæ ſcribantur, inopia, dicis; perinde quaſi mihi non defutura ſit oratio, ac luſciniolæ cantio. Quod ego, qui pulcre me novi, ſecus eſſe intelligo: tamen, quo tibi animum expleam, inaniis chartas implebo, iiſq; quæ nihil ad rem pertineant. In præſentia nihil ſubvenit quod ſcribã, niſi, eos eſſe in urbe calores, quorum ſimiles ſe fuiſſe in vita expertum, nemo meminerit. Interdum imbres maximi decidunt, qui paululũ æſtum relevare videntur; ſed ſtatim, majore vi, quaſi flammas agens, æſtus regreditur, noſque qui nullum ab ejus ſævitia tutum locum invenimus,

mus, violẽtius aggreditur. Ac proximo die Dominico, qui fuit dies D. Alexio ſacer, ex improviſo, obducto nubibus cælo, tanta aquarum vis cecidit, ut nullas, hoc anno, majores fuiſſe conſtaret. Sed antea, ita validus & vehemens exortus eſt turbo, ut obvium quemq; abriperet, & aliquot paſſuum via delatum, humi affligeret atque proſterneret; tum pulverem, cujus pleniſſimæ erant viæ, ita in altum elevaret, ut oculis, cæli lucem & aſpectum eriperet. Deinde ingentem animis terrorem incutiebat, inter, torrentis modo, effundentem ſeſe imbrem, horribilis cæli fragor, & paſſim cadentium fulminum ſpecies, & ab omni parte cæli emicantia fulgura, gladii illius ſimillima, quó Angelus, in ipſo Paradiſi aditu veſtibuloque, ſubmovere dicitur audentes adire. Et, quod magis mireris, quodque non magis ad naturales cauſas, quam ad divinam rationem, referendum exiſtimes; tam repentinus, tam triſtis, tam prodigioſus imber tum extitit, cum univerſa pene civitas, ex ſuis ſedibus evulſa, teſtaceum tumulum, & editiora circa pratum illud loca occupaſſet, quo paſceret oculos ludicro certamine, quod maxime ad ſimilitudinem veri edituræ eſſent omnes, quotquot ſunt Romæ, tum equitum tum peditum copiæ. Ac videre licebat, omnes cujuſque ætatis atque ordinis homines, adoleſcentes præſertim mulieres, tenuiſſimis veſtibus, ut anni fervidiſſimum tempus ſuadebat, indutæ, cum nullus perfugio locus eſſet, totum illum imbrem excipere, qui, ad corpus uſque permanans, ab eo, tanquam flumen, in rivulos diſcretum, efflueret. Neque magis tutæ ab imbris injuria fuerunt novæ nuptæ, ac matronæ nobiles, quæ, rhedis incluſæ, ſe fore eximias putabant: nam magna vis aquæ, ventorum impetu delata, in rhedas irrumpens, os illis, caput, ac totum ſinum implebat. Itaque, quotquot illuc confluxerant, curioſitatis ſuæ pœnas dederunt: neque, eo die, voluiſſent pedem è tecto foras efferre. Atque, ut ego interpretor, mihi viſus eſt Deus, qui pax eſt, quique cœlitus nobis hanc, quam habemus, pacem conciliavit, ſtomachari hominum pertinaciam, qui omnibus iis malis erepti, quæ ſecum belli calamitas affert, adhuc in armorum cogitatione & tractatione verſentur; ideo tempeſtatem illam ab eo fuiſſe

immiſ-

immiſſam ; præſertim cum ille dies, trans Tiberim à Sodalitate Deiparæ Virginis , cujus in monte Carmelo magna eſt religio , ſacra ac ſolemni pompa celebraretur. Vale. Romæ , XII Kalendas Auguſti CIƆ IƆCXLIV.

LXVII.

TYRRHENO,

Viro Clariſſimo.

IN ſingulas horas, vel potius in ſingula temporis puncta, exſpectamus, dum de morte Pontificis , qui jam diu animam agit, fiat palam. Scribere haſce ad te cœperam : nec perperam ſcripſi illud. Nam hoc ipſo momento emanavit in vulgus,hora nempe diei undecima,Vrbanum VIII , qui tam diu præfuit Reipub. Eccleſiaſticæ, diem obiiſſe ſupremum. Nec rumor eſt inanis: nam,quæ aſſolent , quæque oportet ſigna hanc ad rem eſſe, omnia adſunt;ſtrepitus populi & admurmuratio,civium hac illac diſcurſantium fragor,ſignum ære Campano, ut moris eſt in morte Pontificum,datum à Capitolio;cujus magiſtratuum vigilantiæ diligentiæque , Vrbis cura committitur. Vtinam Sanctorum Pontificum choris inferatur. Gaudeo , mea amico tuo Diſticha non diſplicuiſſe. Oris mei imaginem jam ad te perveniſſe , atque in tuis manibus eſſe , exiſtimo. Vir nobilis , doctus , mihique ante tuam commendationem amiciſſimus , Calanius de Aciaria , domum ad me venit, mihique tuas literas reddidit. Quem ego diligebam, faciebamque plurimi,quod ſæpius , in noſtræ Sodalitatis Sacello , pie docteque verba facientem audieram. Nunc pluris hoc mihi erit,quod à te diligitur , laudatur , eumque , tanquam alterum te, mihi jubes eſſe. Sed adhuc perfectum non reddidit,quod promiſit. Promiſerat enim , ſe breviter in pagella deſcripta tuorum popularium , qui in Pinacothecam referendi eſſent , dicta factaque præcipua ad te miſſurum. Quod ſi, fortaſſe, labore deterritus, quem plerique fugimus , non præſtitit, ego ad illum veniam ; quæque mihi

opus erunt, ex ejus ore excepta, mea manu deſcribam. Nam propero, quod à me inceptum eſt opus, abſolvere. Vale. Romæ, IV Kal. Auguſti CIↃ IↃ C XLIV.

LXVIII.

TYRRHENO,

Viro Clariſſimo.

Eccleſia Rom. ſuo ſibi duce ac paſtore morte nuper erepto, in ſqualore luctuque verſatur. Civitas, ſine ullo jure eſt; ſine dignitate Reſp. Tantus, in Vrbe, armatorum numerus cernitur, quantum me alias vidiſſe, non memini. Nulla domus eſt, paulo locupletior, quæ non militum multorum præſidio muniatur. Ac ſi in unum omnes cogerentur, magnus ex eis exercitus confici poſſet. Summa, in Vrbe, armorum impunitas, ſumma licentia: paſſim cædes hominum fiunt: nil ita frequenter auditur quam, Hic, vel ille, notus homo, eſt interfectus. Patrum ampliſſimorum Senatus, de eligendo novo Pontifice, in quo ſunt omnia, conſultat. Ille enim ſolus tot malis poteſt occurrere. Atque utinam eum det, qui tanto muneri par eſſe poſſit. Qui, ſi ſuum officium velit facere, non eum in tanto dignitatis gradu conſtituet, qui unum aliquod afferat, ut juris ſcientiam, aut aliquem Reip. uſum, aut ſolam caſtitatis virtutem; ſed eum, qui ſit virtutum omnium princeps. Nam quamvis, ut in ceteris rebus, ſic etiam in virtutibus, alia ſpecies ſit aliâ formoſior atque illuſtrior, non tamen intra unius vel alterius virtutis terminos compellendus eſt ille, qui excurrere per omnes debeat: non præfiniendum eſt illi, quatenus progredi in bonorum operum profectu debeat, cui, pro viribus, danda opera ſit, ut unuſquiſque ita directum illud ad omnes virtutes iter teneat, ut earum perfectionis metam attingat. Quid multis moror? omnibus virtutibus excellat oportet, qui omnibus ſpecimen eſſe jubetur; Deo quam ſimillimus judicetur neceſſe eſt, qui ſit in loco, Deo in terris proximo, conſtituendus. Non poteſt id, quod dicimus, tam diſerte oratione cujuſquam explicari, quam eſt à Deo re ipſa ad

ad vivum expreſſum. Qui Deus, daturus populo ſuó Regem, repudiatis omnibus aliis, Saulem potiſſimum, quem eo faſtigio digniſſimum arbitrabatur, Regem elegit. Qui ea corporis forma atque ſtatura fuiſſe traditur, ut altior eſſet omni populo, *ab humero & ſurſum.* In humero, probitas, Sophoniæ voce, deſignatur; qui de populis Deo ſubjiciendis ait, *Servient ei humero uno*, hoc eſt, pari probitate atque juſtitia. Itaque cum de Pontifice in demortui locum ſubrogando conſulitur, ille præferendus eſt ceteris qui altior ſit omni populo; hoc eſt, qui communem uſitatamque ceterorum hominum probitatem & ſanctitatem excedat; qui, rerum divinarum ac cæleſtium contemplatione, ſeſe ceteris altius extollat. Quod ſi, ad hanc ejus qui ceteris imperaturus eſt normam, à Deo nobis præfinitam, Romani Pont. electio dirigenda eſt; cogita tecum ipſe, num in id faſtigium recipiendus ſit ille, qui ſolum in eo ſit omni cura & cogitatione intentus, ut familiæ ſuæ opes ex minimis maximas faciat, ut ſuos omnes divitiis expleat, imperiis augeat, amplitudine Regibus, ſi fieri poſſit, exæquet? Merito igitur, ab humero ſurſum, ſit ceteris ille major oportet, à quo, tanquam à capite ſpiritus in reliqua membra, ita bonorum operum exempla in populum defluunt. Hinc licet intelligere, quanto ſe peccato alligent, quantum in ſe hominum odium ſtruant ii, ad quos Principis eligendi jus redit, ſi faſces indigno detulerint. Magnum irarum irritamentum, magna odii fax eſt, Principis non boni electio. Hoc enim inter parentem atque electorem Principis intereſt, quod ille naturæ vitio, hic judicio, peccat. Ille ſi minus utilem Reip. filium genuit, non continuo id ipſi vitio datur, non continuo civium odio premitur; quoniam non eſt in poteſtate noſtra, nobis liberos ex animi ſententia gignere; immo, nemo eſt, quin filios quam optimos velit: at, qui male elegit, quia omnis in ipſo culpa reſidet, cum bene potuerit; illico omnium divûm atque hominum odium incurrit, illico diris & imprecationibus omnibus expetitur, exagitatur, laceratur. Accedit, quod non eadem eſt ratio ejus, quem parens minus feliciter genuit, ejuſque, quem intemperans eligentium

cupiditas, vel temerarius favor, principem declaravit; quod illum æquiore homines animo ferunt, quoniam talis erat habendus; hunc perpeti ac tolerare nullo modo poſſunt, quod hominum improbitate atque nequitia contigerit, ut ſub malo principe eſſent. Quid ſi novi Principis comitia incidant in id tempus, quo rebus afflictis ac perditis ſuccurrendum ſit maxime? quantam in ſe culpam concipient ii, quibus ejuſmodi electio commiſſa eſt, ſi non, quantum ſtudent, & quantum poſſunt, conferunt ad communem ſalutis voluntatem, ſi non omni ſtudio ſibi enitendum putent, ut talis rebus afflictis ac perditis moderator exiſtat, qui eas conſilio ſublevare, opera recreare, ſapientia reparare ac reficere valeat! Atque haud ſcio, an ullum unquam tempus fuerit, quo tempore, pejore loco, Eccleſiæ Romanæ res fuerint. Summi Pont. majeſtas ubique terrarum imminuta; Eccleſiaſtica poteſtas iniquis Principum legibus oppreſſa; libertas ſub jugum miſſa: civitates ab iis, à quibus minime æquum erat, afflictæ, vexatæ, ac perditæ; earundem agri, antea viridiſſimi nitidiſſimique, nunc belli, quod in illis acerbum diuturnumque verſatum eſt, calamitate vaſtati atque deſerti; miſeris mortalibus, qui ſub eccleſiaſticæ ditionis jure imperioque ſunt, acerbis exactionibus, & ante hoc tempus inauditis vectigalibus, emunctis & expreſſis, vix anima relicta eſt. Itaque, concuſſa Rep. ruens pene orbis terrarum, confugit in ſinum Patrum ampliſſimorum; orat, obſecrat, clamat, fidem eorum implorat, ut eum publicæ ſalutis gubernaculis admoveant, qui poſſit ſuccurrere, qui, juſtitia, auctoritate, prudentia, proſpiciat, ne in perpetuum pereat. At ubinam, inquies, hic, qui ſit talis, quæratur? num inter eos, qui ſint nobis, vel mutuo amicitiæ vinculo juncti, vel arcto cognationis nexu conſtricti? Minime quidem. Nam Chriſtus, qui futurus erat Pontifex in æternum, inter cognatos ac notos noluit inveniri. Quamobrem hoc? Quia voluit nobis, per hanc rationem, inſinuare, non eum eſſe in comitatu amicorum cognatorumque petendum, qui ſucceſſurus eſſet vicarius ſui muneris, qui eſſet alter ipſe futurus. Tum ille, diſertis verbis, omnem amicitiæ, omnem cognationis ne-

neceſſitudinem reſpuit, præter eam, quam Dei amor, ejuſque divinarum legum obedientia cultuſque, conjunxit. Nam, Qui fecerit, inquit, voluntatem patris mei, qui in cælis eſt, hic mater mea & frater vocabitur. At, ſi ſola cognationis amicitiæque ratio non debeat eum nobis Pontificem dare quem quærimus, dabit ſaltem ſpes privatæ cujuſpiam utilitatis, vel potentiæ, vel divitiarum. O ſemper humi defixas noſtras cogitationes! ô terrena conſilia! Ergo, orbis terrarum imperatoris, Eccleſiæ univerſæ moderatoris, animarum noſtrarum paſtoris, Chriſtianorum omnium magiſtri ac domini comitiis, utilitatis privatæ ratio dominabitur? Ergo ille magis vel minus dignus, qui ceteris præſit, habeatur, ille magis vel minus idoneus, qui ſucceſſor Petri, qui ſummæ poteſtatis Antiſtes ſit, declarabitur, quem, plus minuſve è re noſtra ſit, in tanto dignitatis gradu locari? Ergo illi tutius Chriſtianorum omnium ſalus committi declarabitur, qui utilior ac fructuoſior nobis futurus exiſtimetur, contra, in eo omnium fortunas agi, communem ſalutem periclitari, orbis terræ interitum metui, unde parum vel nihil ſit ad nos lucri redundaturum? Velle autem pluribus verbis demonſtrare, quam hæc partim ſint levia, partim intolerabilia, non modo ſuperfluum ac non neceſſarium, verum etiam ineptum, exiſtimo. Vbinam igitur is, quem quærimus, invenietur? Vbi inventus eſt Chriſtus. Nimirum in templo. Ac, ſi ibi repertus fuerit, retinendus eſt, neque dimittendus, etiam ſi recuſet, etiam ſi nolit, etiam ſi conetur elabi è manibus. Nullum enim bene imperaturi ſignum eſt majus, quam ſi imperare recuſet. E templo igitur, hoc eſt, ex eo hominum genere petendus & conſtituendus eſt Pontifex, quibus templi Dei honor, cultus, ac dignitas, magis ſit cordi, quam privatæ cujuſpiam utilitatis & commodi ratio; quibus, in ſacerdotiis demandandis, ii ſint in primis eximii, qui ſanctitate, doctrina, fide, atque prudentia, adſint, tanto oneri pares, non autem ii, qui, ſacroſanctis illis muneribus, luxuriæ, avaritiæ, omniumque vitiorum materiam ſibi eſſe oblatam, exiſtiment: ex iis Pontifex ſumendus, qui, tota ex civitate, atque adeo ex toto orbe terrarum, officiis atque

honoribus eccleſiaſticis dignos eliciant, non autem ex ſuarum eos ædium adminiſtris, virtuti non maxime deditis, expetant; qui magis vitæ dignitate, exemplo, ſanctimonia, abſtinentia, juſtitia, operam dent, ut corrupti hominum mores ad frugem revocentur, quam ut urbes foſſa, vallo, atque lapidum mole ſepiantur; (nam illud pulcre munitum eſt oppidum, unde fraudes, avaritiæ, libidines, injuriæ, ac ſcelera exulatum abierunt; ceteroqui, ut in quodam poëta me legiſſe memini, centuplex murus rebus ſervandis parum eſt;) qui magis ſoliciti ſint, quemadmodum Catholica ac Chriſtiana religio longe lateque propagetur, quam quemadmodum fines imperii proferantur; quorum magis omnis in eo cura verſetur, ut, ſublatis diſcordiis, toto orbe terrarum pax agitetur, quam ut, à libidinis iracundiæque ſuæ æſtu abrepti, ſummo cum Reip. damno, ac pene interitu, omnia bello, (quod deinde, re neceſſaria coacti, componant,) turbent atque permiſceant; denique, qui jure, legibus, ratione, prudentia, atque auctoritate eorum, qui conſuluntur, non temere, neque ex ſuo marte, neque ex animi ſui libidine, Remp. gerant. At vide, quonam me vehemens mandatis tuis obtemperandi ardor ſtudiumque provexerit, ut longam iis de rebus epiſtolam ſim auſus intexere, in quibus ego rudis, tu excellens in primis; atque, ut dicitur, doctum docere. Itaque jam me ipſe cohibeo, ac longius ferri non ſino. Ille pulvis, cujus vi calculos, tenuem in arenam redactos, excerni ſcripſeram, cujuſque potiundi, ſi bene literarum tuarum ſententiam novi, es cupidus, auctori ſuo decollavit, atque decoxit: ac nemo fere calculoſus invenitur, qui eo audeat uti. Ac furnario illi, quamquam, eo ſumto, non minimum morbo, quo premebatur, relevari viſus ſit, tamen nunc pejus quam antea eſt, neque uſquam poteſt, præ dolore, conſiſtere; quod animadverſum ſit, eam ardoris magnitudinem pulverem illum invehere, ut quidam, cum ejus vim ferre non poſſet, vita deceſſerit. Quibus autem ex rebus pulvis ille conſletur, auctor non dicit; ſed iſtud tacitum, tanquam myſterium, tenet. Quamobrem, cum paucis proſit, obſit autem pluribus, ejus pulveris uſus auctori ſuo remit-

ta-

tatur. Qui etiam ait, eum ſe, pharmaci cujuſdam loco ad omne genus ægritudinis propulſandum, adhibere. Tu vero ab ejus cupiditate te avoca; atque, ad valetudinem tuendam, ſtudium ac diligentiam confer. Vale. Romæ, III Non. Auguſti CIↃ IↃ CXLIV.

LXIX.

TYRRHENO,

Viro Clariſſimo.

SChedula ad me tua, longæ cujuſdam epiſtolæ loco fuit: magno enim honore ac beneficio me à te eſſe affectum exiſtimo, cum tibi dignus videor, ad quem, unico tantū verſiculo comprehenſum epiſtolium mittas. Hodie mane, V Id. Auguſti, D. Laurentii pervigilio, ſacris antea, quibus Spiritus Sancti auxilium implorabatur, à Cardinali Lante Decano peractis, Cardinales ſex & quinquaginta numero, Cruce à Magiſtro cærimoniarum delata præcedente, bini incedentes, Conclave ſunt ingreſſi, novi Pontificis in demortui locum ſubrogandi gratia. Nunquam eorum plures, ad ejus functionem muneris, coiſſe perhibentur. Tota Vrbe rumor increbuit, hoc paucorum dierum, vel unius diei potius, negotium fore; quod jam convenerit inter eos, quem potiſſimum eligant: ac nomen etiam illius palam enunciant. Quod ſi rumor ille verus, iſque electus fuerit Pontifex, cujus nomen totâ aulâ diſſipatur, ſcribam. Sed quamvis veriſimile ſit, rumorem iſtum non levibus conjecturis ac rationibus niti; tamen ſæpe vidimus, eos, qui, opinione omnium, Pontifices ita proclamati, Conclave ingreſſi ſunt, inde non niſi Cardinales exiiſſe, neque quidquam tam illis, quam hanc de ipſis opinionem ac famam, obfuiſſe. At, ſi iſte, quem dicunt, eſt ejuſmodi, ut Eccleſiæ uſui ſit futurus, quique iis incommodis ac malis, in quibus fuimus ac ſumus, poſſit ac velit occurrere, quid reliquum eſt, niſi ut, quod vulgus ominatur, evenire cupiamus? Sed his omiſſis, nihil eſt tam optandum, quam ut negotium celerrime conficiatur, ne-

que, diſtractis in varias partes voluntatibus Cardinalium, res in longum protrahatur. cui rei operam dare videtur menſis Auguſtus, præter anni rationem ac temporum ordinem, ſane frigidulus. nam, ex ſummis menſis Iulii caloribus, quibus non meminimus fuiſſe majores, tanta repente aëris temperies oborta eſt, ut leonis ſævities, & canis rabies, in ovis manſuetudinem converſa eſſe videatur. Hac igitur occaſione alliciente, niſi ſtatim inter ſe conveniant, poteſt accidere, ut variæ Cardinalium ſententiæ, & contraria ſtudia, dies, ac fortaſſe hebdomadas aliquot auferant. Vaticanum, multis peditum millibus, atque equitum turmis, præterea validis ad omnes viarum aditus cancellis, atque exſtructis ex tabulis domibus, ita munitum eſt ac ſeptum, ut ſi jam jam hoſtium adventus metuatur. Quod non alias in morte ſummorum Pontificum, qui mea ætate deſceſſerunt, factitatum eſſe vidi. nam tum, quatuor vel quinque peditum centuriæ, magis decoris cujuſdam gratia, quam quod ita neceſſe eſſet, ad Conclavis cuſtodiam conſcribebantur. Sed arbitror, viſum Patrum ampliſſimorum Senatui, majoribus ſe copiis, ad hujus muneris opus, munire, ne à nonnullis, externa aliqua vi, ipſorum comitiis impedimentum, vel mora afferretur. Ego epiſtolam hanc (quod ex die, illi adſcripto, qui eſt tertius ab eo, quo Cardinales ingreſſi ſunt Conclave, potes cognoſcere,) obſignare diſtuli, ut, ſi quid novi interea contigiſſet, poſſem ad te ſcribere. Sed necdum accidit peculiare quidquam. Tota Vrbe delectus habentur. Quid timeatur, neſcio; niſi, propinquus Parmæ ac Placentiæ Ducis adventus, ſit in metu; ad quem etiam à collegio Cardinalium certos homines adlegatos eſſe dicunt, qui ſuis eum verbis hortentur ac moneant, ut iter ſupprimat, neque propius ad Vrbem conetur accedere. Multa alia divulgant curioſi homines, qui, ut eſt in proverbio, quicquid rex reginæ in aurem dixerit, ſe ſcire profitentur. Sed, quid attinet, ea referre? Epiſtolam claudo & obſigno. Vale. Romæ, prid. Id. Auguſti, CIↃ IↃ C XLIV.

LXX. TYR-

LXX.

TYRRHENO,

Viro Clariſſimo.

Cardinales, xv Kal. Septembris, conveniſſe, jam noris. Ab eo die, uſque in hunc diem, nihil actum eſt dignum, quod ſcribatur. Sed ſi quid deinceps erit certi vel incerti, de quo homines loquantur, faciam te de eo certiorem. Interea nulla voluptas eſt major hîc Romæ, quam in ea area dies conſumere, quæ à foribus Palatii Vaticani venientibus prima objicitur: eo enim convenit quotidie, quicquid eſt in Vrbe, Epiſcoporum, Antiſtitum, aulicorum, omniumque qui veſpere vivunt ſuo; nam eſt, ut noſti, ſatis ampla; neque inde diſcedunt antea, quam nox terras opacaverit. ibi ſermones conventuſque habentur de iis rebus, quæ fiunt intus & non fiunt: ibi variæ hominum audiuntur opiniones de eo, qui futurus vel non futurus ſit Pontifex: ibi inpune multa leguntur. Me non exigua ſpes tenet, fore, ut jam Deo propitio pacatoque utamur, ac Pontifex eligatur, in quem omnes numeri probitatis ſapientiæque conveniant. In quam ſpem eo libentius ingredior, quod iſtuc idem Collegio ipſi Cardinalium propoſitum eſſe intelligo. nam horum ea mens eſſe videtur, ut eum, ex ipſis, Eccleſiæ univerſæ Pontificem dent, qui rebus illius, quæ quo loco ſitæ ſint vident, maxime opportunus cenſeatur. Quod ut, divino illuſtrati lumine, præſtare poſſint, ſuperiori die Dominico, Sacrificio Miſſæ peracto, ex ſacello Xyſti, in alterum Pauli, ſacroſancta Chriſti Domini corporis myſteria, cereos accenſos manibus geſtantes, detulerunt; ibique diem totum diviniſſima illa hoſtia precibus ſupplicantium expoſita ſtetit. Calanius de Aciaria, vir nobilis ac doctus, plus ex ſe dedit, quam promiſerat. nam, pro uno aut altero, ex ſuis popularibus, decem attulit, quorum ingenii doctrinæque imagines, in noſtra Pinacotheca, omnibus, ad cognoſcendum imitandumque, pateant. Vale. Romæ, x Kalend. Septemb. CIↃ IↃ C XLIV.

LXXI.

TYRRHENO,

Viro Clariſſimo.

Vtinam nihil eſſet novi, quod ad te ſcriberem. non enim ſcribendum eſſet de morte optimi clariſſimique viri, Cardinalis Bentivoglii. Qui, paucis ante diebus, cum febri è Conclavi egreſſus, in proxima Conclavi eidem cubicula ſeceſſerat, quo curari facilius atque aptius poſſet: ſed, cum morbus factus eſſet amplior, qui tenui nullaque pene valetudine atque infirmiſſimis eſſet viribus, ejus vim ferre non potuit. Verum, talis viri interitu, magno Cardinalium collegium ornamento ſpoliatum eſſe, omnes fatentur. Etenim, ob generis claritatem, vitæ ſplendorem, morum innocentiam, doctrinæ præſtantiam, ac longum rerum maximarum uſum, Pontificatu maximo ille digniſſimus exiſtimabatur. Sed mors, more ſuo, fecit: quæ ſemper unumquodque, quod eſt belliſſimum, carpit. Vale. Romæ, VI Id. Septemb. CIↃ IↃ CXLIV.

LXXII.

TYRRHENO,

Viro Clariſſimo.

Tandem aliquando, quod bonum, felix, fauſtumque ſit, poſt ſeptem & triginta dierum conſultationes diſceptationeſque, XVII Kalendas Octobris, omnium fere Cardinalium ſuffragiis (nam ſeptem deſiderata fuiſſe dicuntur) electus ac declaratus eſt Pontifex Max. Cardinalis Pamphilius; de quo ſtatim ab initio agi cœptum eſt; quod plura in eum, quam in cæteros alios, Cardinales ab Vrbano creatos, convenirent, quibus tantus illi honor deberi exiſtimabatur. Eodem die, horam circiter vigeſimam tertiam, novus hic Pontifex

In-

Innocentii X nomine, Pontificiis veſtibus indutus, delatus eſt, inter fauſtas populi acclamationes, in Ædem, Apoſtolorum principi ſacram; quo tota civitas, illud ſpectandi cupida, confluxerat, quod quiſquam, totis uno & viginti annis, non viderat, ut ibi de more ille Cardinales, ad pedum, genuum, atque oris oſcula admitteret. Ingens, omnis ſexus, ætatis, atque ordinis, hominum multitudo, Palatii ſcalas, porticum, Ædemque compleverat: atque, ad primum novi Pontificis aſpectum, tanti omnium, vitam & ſalutem illi deprecantium, clamores excitati ſunt, ut palatium, porticus, Ædes, ac cœlum ipſum, ruere videretur. Quos ille ſibi clamores gratos & acceptos accidere, vultu, ſignificatione, manu, qua frequentiſſimas illis cruces dividebat, indicare conabatur. Qui clamor non antea conſtitit, quam ille in ara conſedit. Homo eſt Romanus; præſtat ingenio, doctrina, rerumque maximarum uſu. Ideo populus Rom. magnam in ſpem venit, fore, ut rempub. gerat quam optime. Poſtremo, cærimoniis omnibus rite peractis, eodem cum plauſu reductus eſt in ædes Pontificias, ibique Datarium Cecchinum, Domus præfectum ſibi Androſillam elegit. Vale. Romæ, XVI Kalendas Octobr. CIↃIↃCXLIV.

LXXIII.

TYRRHENO,

Viro Clariſſimo.

Acceptis tuis literis, tua manu exaratis, quæ multos jam dies, ob ſummas & innumeras occupationes tuas, ſiluerant, perinde exhilaratus ſum, ut ille, qui ex diuturnis tenebris, tandem fuerit ad aſpiciendum lucem emiſſus. nam, & illarum ſuavitate mirabiliter ſum recreatus, & incredibilem ex eo voluptatem accepi, quod intellexi, occupationes tuas, quantumvis maximas, nempe quæ ad pacem toti terrarum orbi pariendam ſpectent, quo nihil ne excogitari quidem utilius vel ſalutarius poteſt, non eam vim poſſe habere, ut me tibi ex me-

memoria prorſus evellant, neque adeo omne tempus eripiant, ut nulla ejus pars reliqua ſit, qua ad literas, ad me dandas, utaris. Accepi ab humaniſſimo Calanio octerniones, quos mittis, mihi gratiſſimos; & proximis tuis literis alios duos. qui Calanius excuſavit etiam occupationes tuas, quod meis literis reſponſum non dares. quod fuit mihi jucundum in primis. nam verebar, perturbatione eas temporum ad te non perveniſſe, vel omnino interiiſſe. Scribit Nihuſius, Niciana Exempla, nuper impreſſa, jam penitus eſſe divendita: cum fas nobis non fuerit, unicum ſaltem ejus operis exemplar aſpicere. quod ſatis mirari non poſſum; cum impreſſores, iſtarum partium, ambitioſe ſoleant ea, quæ typis mandaverint, cum bibliopolis noſtris communicare; præſertim ſi ſpes aliqua utilitatis ſeſe oſtendat. At ego liquidò affirmare poſſum Cæſio ſi velit, librum hunc non minus multos emtores habiturum hic Romæ fuiſſe, quam Pinacotheca olim habuerit: cui, ſimul ac venit, non fuit neceſſe, tanquam invendibili merci, emtorem adducere; ſed tam multi ultro ſe obtulerunt, ut, paucis diebus, omnia ejus exemplaria magno precio venierint. Cujus ego Pinacothecæ partem alteram inchoavi, neque ita longum poſt tempus, Deo juvante, abſolvam: quæ, ſpes eſt fore, ut te magis etiam quam altera delectet, ob varietatem formarum, partim venuſtarum, partim deformium, quæ tum admirationem tum riſum moveant: nam deformitas, ut noſti, eſt regio ſedeſque ridiculi. Nos hic Romæ, in ſummo ocio & tranquillitate, ævum agitamus, Innocentii X. Pont. Max. providentia; qui nihil æque exhorret, atque ſtrepitus armorum, ac tumultus. Et columba, ramum oleæ roſtro ferens, vetus ejus familiæ inſigne, quid aliud præſagire videtur, niſi, ut tandem, tua etiam opera, ſublatis diſcordiis, toto orbe terrarum, pax inter viros principes, æquis legibus, componatur? Erit mihi pergratum, ſi, quod tuo commodo fiat, has duas epiſtolas, ad Nihuſium quam primum peferendas curaveris. Vale, Romæ, IV Non. Octobris CIↃ IↃ C XLIV.

LXXIV.

TYRRHENO,

Viro Clariſſimo.

VEnit, cum tuis ad me literis, domum meam Laurentius, familiaris tuus, & conſiliorum omnium particeps. Quo quidem homine delectatus ſum plurimum. nam mihi eſt viſus vir probus, ac plenus humanitatis & officii: atque, quemadmodum ex prudentiſſimis ejus ſermonibus conjicere potui, neminem arbitror, potuiſſe te, ad ea, quæ mandaveris, perficienda, aptiorem prudentioremve mittere. Litteras autem tuas legi, non ſolum avidiſſime, ut alias, verum etiam cum præcipuo quodam animi ſenſu, ex virtutum tuarum admiratione concepto. Viſus ſum enim, in eis videre animum tuum, rejectis omnium humanarum rerum cupiditatibus, arctiſſimis cum Deo amplexibus circumplicatum atque conjunctum. Quocirca jure te beatum exiſtimo. Quid enim illi deeſſe, ad beate vivendum, poteſt, qui ſpes ſuas, & cogitationes omnes, fixas ac locatas habeat in Deo qui non poteſt amitti, ab illis autem rebus abſtractas atque ſejunctas, quæ vix tenentur, cum fugiunt, extinguuntur, & cadunt; qui illam maxime optatam & expetitam ſecuritatem, hoc eſt, vacuitatem ab angoribus, obtineat, quam nuſquam fas eſt reperire, niſi in Deo? Habeant igitur ſua Reges Regna, ſuas divitias divites, ſuas opes opulenti; nihil in eis invenio, quod ſit magnopere invidendum; illi ego invideo, illum beatum judico, qui poſſit cum Rege Davide gloriari ac dicere, *Mihi autem, adhærere Deo, bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam.* Etenim humanus animus, decerptus ex mente divina, ſi pacis ociique eſt cupidus, cum alio, niſi cum ipſo Deo, copulari conjungique non poteſt. Itaque, cui tantum obtigit boni, nihil melius expeti poteſt, quam ut ille cum Deo nexus atque conjunctio ſit ipſi perpetua, neque quavis opum honorumque acceſſione dirimatur diſtrahaturque; tum, ut lumen illud,

divi-

divinitus, ad ipſum illuſtrandum, immiſſum, non aliquo ſecundo fortunæ, doloſe blandientis, flatu hac illac impulſum, extinguatur atque depereat. Iam Pinacothecam alteram, propemodum inſtructam, atque refertam clarorum virorum imaginibus, habeo: & cogito, cujuſnam amici doctique hominis nomini inſcriptam emittam. Non enim eſt conſilium, multorum hac in re morem & conſuetudinem ſequi, qui egregios multorum annorū labores ſuos non aliis commendandos ſtatuunt, niſi iis, qui æquam ceterorum mortalium condicionem, præſtantia dignitatis aut fortunæ ſuæ, tranſeunt, ut opes honoreſque adipiſcantur. Nam primum, omnis ab animo meo exceſſit pecuniæ cupiditas, omne ambitionis ſtudium evaſit. tum illi tota errant via, ſi quid, his artibus, fieri poſſe exiſtimant. bene cum ipſis actum erit, ſi beati illi, quibus opera dedicant ſua, faſtidioſa atque ſuperba manu, illa receperint, & in angulum aliquem rejecerint; idque non ſtatim, ſed poſtquam ſæpius redire eos juſſerint, ac, multas horas expectando, enecaverint. Quis enim non experiatur, quemadmodum apud iſtos probis, honeſtis, ac literatis viris omnes ardui difficileſque ſint aditus? nam, cui nota non ſint illa, in aulis uſitata, & ad excruciandum inventa, tormenta! Redito alio die; nunc non eſt ocium; occupatus eſt; adiri non vult; aliaque his ſimilia: quæ non ſunt verba, ſed lapides, ſtimuli, flammæ, quæ miſeros, expectatione ſuſpenſos, lacerant, fodicant, urunt. tum, nonne, plus quam velimus, notum eſt atque perſpectum, quantus iis honor habeatur, in quibus aliqua virtutis exſuperantia redundet? nonne, ſuperioribus annis, totus orbis terrarum vidit, admiratus eſt, ingemuit, quos, ob ætatis maturitatem, ob generis ſplendorem, ob artium liberalium ſtudia, ob vitæ morumque integritatem, florere, in Resp. honores maximos gerere, opibus præſtare oporteret, iis pueros, infima de fæce homines, rerum omnium imperitos ac rudes, &, quod pejus cœno collinit, turpibus moratos moribus, anteponi? Verum, quidquid alii loquantur ac ſentiant, nunquam committam, ut, mea opera, ita virtutis precium ad terram concidat, ut florentem hominum fortunam, nulla cognitione rerum,

nulla

nulla ſcientia ornatam, tanquam aream habendam exiſtimem, in qua, ad aucupium honorum vel pecuniæ, optimi ingenii cujuſque partus, res longe iis, quæ petuntur, præſtantiores, quaſi cibus, offundantur. Stephanus Vajus, Hoſpitalis S. Spiritus in Saxia domus Præceptor, magna eſt apud Innocentium X, ejuſque fratris filium, in amore & gratia. hic miros de te ſermones mecum habet, tuas virtutes in cœlum effert, atque adeo ſe tibi addictum oſtendit, ut ſit ultro pollicitus, quoties occaſio ſe dederit, tuam apud Pontificem rem, majore etiam diligentia ſtudioque quam ſuam, acturum, tuaque eidem merita in memoriam revocaturum. Non eſt contemnenda officioſa hominis, in primis gratioſi eloquentiſque, ſedulitas. Hæ enim domeſticæ familiareſque commendationes majorem habere vim ſolent, quam externa ſummorum Principum officia; propterea quod ab ambitionis ſuſpicione longius abſint. Vale. Romæ, Idibus Octobr. CIↃIↃCXLIV.

LXXV.

TYRRHENO,

Viro Clariſſimo.

Redditæ mihi ſunt, uno tempore, abs te literæ duæ: quarum ſingulæ binos epiſtolarum, typis commiſſarum, octerniones continebant. Gaudeo, opus procedere: tuæque ſingulari in me benevolentiæ tantum hoc beneficium acceptum refero. Earum literarum in alteris, dies erat adſcriptus XVII Kal. Octobris; quo die, octavo poſt feſtum Nativitatis Deiparæ Virginis, longo ſeculorum intervallo renovatum eſt vetus illud Virginis ejuſdem in hanc ſanctam Sedem, atque adeo in totum Chriſtianum orbem, beneficium. Nam, quemadmodum olim, in Rom. Pontificis electione, diſtracti, in varia ſtudia, Patrum ampliſſimorum animi, tandem ad eligendum, ni fallor, Innocentium IV coaluerunt; ita etiam nunc eodem die, poſt longas unius & eo amplius menſis diſceptationes ac controverſias, omnium fere Cardina-

lium

lium conſenſu, præter admodum paucos, collocatus eſt in ſumma Petri Apoſtolorum principis Sede, Ioannes Baptiſta Cardinalis Pamphilius, & Innocentii X nomine appellatus. Et ſane miraculo tribuenda eſt ejuſmodi electio. Tum enim accidit, cum minus expectabatur: adeoque hi, qui propenſi non erant in ipſum, tandem ſubito., mutata voluntate, egregia hominis merita ſibi in animum ſubjicientes, quibus ille ſummus ac Deo proximus dignitatis locus deberi exiſtimabatur, majori etiam ſtudio quam ceteri, in eorum ſententiam ierunt, qui eum potiſſimum eligendum eſſe cenſebant. Atque, ad illorum voluntates commutandas, magnus Innocentio fuit uſus in Cardinalis Panciroli opera: qui merito apud illum auctoritate & gratia pollet maxime, ac primum fere locum tenet ædium Vaticanarum, negotiis principum virorum, ab arcanis, præeſt, nunquam fere à Pontificis latere diſcedit, cum eo ſermones familiares confert, eoſque, ſingulis prope diebus, in multam noctem producit. Magna Pontifex in ſuis rebus utitur maturitate: nullum adhuc magiſtratum loco movit, eidemque alterum ſubrogavit: ſolum Latinas literas ſcribendi provinciam, quam olim Roſpiglioſus adminiſtrabat, Gaſpari de Simeonibus, homini erudito, quem tibi notum eſſe arbitror, demandavit. Nihil ab eo tam poſtulatur, quam ut ſevera judicia fiant, quibus ſuum unicuique tribuatur. Hoc ſi præſtiterit, explebit omnem exſpectationem Pontificatus ſui, ac deſiderii noſtri. Exiſtimo, non minimæ fore utilitati, tum Sacerdotibus tũ allis, ſi typis mandaretur opuſculum illud, quod olim ad te miſi, de Sacerdotis dignitate atque præſtantia: multa enim continet, nec vulgaria, quæ Sacerdotes ad magnitudinem ſui muneris agnoſcendam, alioſque ad majorem illis cultum honoremque præſtandum, poſſint impellere. At nihil ſtatuere audeo, ſed omnem tui eſſe arbitrii rem volo. Vale. Romæ, x Kal. Novemb. CIↃ IↃ C XLIV.

LXXVI. TYR

LXXVI.

TYRRHENO,

Viro Clariſſimo.

NOn levem mihi moleſtiam attulit, quod ſcribis, faſciculum literarum,quæ ad te mittebantur,à prædonibus direptum, interiiſſe. Nam in eo, ut arbitror, meæ etiam ad te erant incluſæ, in quibus diligenter narrabam,Io. Baptiſtam Cardinalem Pamphilium,omnium fere Cardinalium conſenſu, dignum fuiſſe habitum, (ac merito,)cui Reip. Chriſtianæ univerſæ regendæ tuendæque partes committerentur, ſimulque populi Rom. lætitiam, ex illius electione conceptam; quam ex plauſu oſtendit, quo illum exceperat, dum è conclavi,in Ædem Apoſtolorum Principis,pontificia in ſella,ſuorum humeris, deportabatur, ut, in ara ejuſdem Ædis maxima inſidens, Cardinales, debitum ſibi obedientiæ officium deferentes, ad pedum atque oris oſculum admitteret. Qua lætitia ideo affici videbatur, quod magnam in ſpem venerat, fore, ut, ejus opera ac liberalitate, ex iis incommodis ac malis eriperetur, in quibus, ſuperiorum temporum vitio, inhæſerat. Quod difficile erit. nam, quod fecimus damnum, ejuſmodi eſt, ut multorum annorum curſu ſarciri vix poſſit. Tum, IV Non. hujus menſis, non minori populi Rom. concurſu atq; frequentia, quoniam fere innumeris, ob longum Vrbani VIII Pontificatum, hujuſmodi ſpectaculo intereſſe non contigerat, magna pompa præcedentibus Cardinalibus, ac totius aulæ Magiſtratibus, oratoribus Principum, (nam Præfectus Vrbis, qui cum oratoribus illis de loco contendit, ne tumultus aliquis oriretur, fuerat admonitus, ne illuc accederet,)aurea in ſella in templum, Apoſtolorum principis in honorem, Deo dicatum,fuit evectus. Vbi primum ſacrum,de more,ſolemni ritu peregit. Cui illæ ceremoniæ anteceſſerant,quæ adhiberi in ejus muneris functione ſolitæ ſunt; atq; ea in primis, qua, ſtuppa bis vel ter incenſa & in altum elata, clara voce admonetur Pontifex, ut

meminerit, perinde omnem humanam gloriam atque ſplendorem inflammari atque extingui, ut in ſtuppa illa conſpiceret. Quod utinam omnibus, qui inflammato ſtudio ad honores dignitateſque rapiuntur, in animo defixum hæreret: profecto modeſtius hi ſe gererent, neque rei, quæ momento pene temporis abit, alligarentur; immo tam incitatum ſuum ad honores curſum inhiberent, atque compeſcerent. His actis, eadem pompa delatus eſt eum in locum, ubi Rom. Pontifices populo benedicere conſueverunt: ibique publice à Card. Lante, Patrum ampliſſimorum Collegii Decano, detracta mitra, ejus eſt capiti Pontificia tiara impoſita, ut Populus Rom. novum Salomonem inſpiceret in diademate, quo coronavit eum mater ſua Eccleſia, in die deſponſationis ſuæ. cujus ille aſpectu recreatus, magna voce exclamavit, Vivat Pontifex Innocentius. Novi deinceps nihil accidit, niſi unum; quod ego non auderem ſcribere, niſi notum eſſet omnibus atque teſtatum, & in omnium ſermonibus palam verſaretur, ac pro certo ſcirem, fore ut de eo in hiſtoriis Latinæ Etruſcæque literæ loquerentur. Nudius tertius, ab oratoris Regii Gallici filio, nam ipſe ægrotus lectulo detinetur, fuerunt allatæ, ad Card. Antonium, Regis literæ, quibus illi Regni Galliarum patroni provinciam abrogabat, imperabatque, ut patrocinii diploma in medium afferret, ejuſque inſignia ab oſtio domus removeret. Et, quo teſtatior res eſſet, factum hoc eſt, ſcriba publico ac teſtibus præſentibus. Ille, ſimulans, ſe in aliud cubiculum ire, ut diploma afferret, illorum conſpectui ſe ſurripuit. Cauſæ diſſidii, quamvis tibi ab aliis eas eſſe perſcriptas non ignorem, eæ traduntur; quod, cum propoſitum Antonio & Franciſco, ejus fratri germano, fuiſſet, Card. Sacchettum, eo faſtigio digniſſimum, ſuis ſuorumque ſuffragiis Pontificem maximum creare, quod ita Eccleſiæ in rem eſſe exiſtimarent; quia verebantur, ne Pamphilius, qui erat illi par meritis, ſed ætate multo ſuperior, conatibus ſuis obſtaret, quoque honeſte poſſent tantum à Sacchetto æmulum removere, dederat operam Antonius quantum poterat, ut à Rege Galliarum ad ipſum epiſtola daretur, qua ſignificaret, ſe à Pamphilio abhorrere; ſed deinde, mutata voluntate, nihil illis

uſus

uſus,ſuum, ad Pamphilium, ſtudiũ cogitationemq; convertit. Quod ubi ad Regem, ejuſque miniſtros, eſt allatum, illico, Regem fuiſſe ludibrio habitum, exiſtimatum eſt, ac juſtam Pontifici occaſionem præbitam ſuſpicandi, Regem, alienum ab eo animum gerere. At, ſicuti neutrum inde eſt conſequens, ita ego Card. Antonio ignoſcendum, neque continuo id illi vitio dandum, exiſtimo. Nam, ut ille ait, nunquam ita quiſquam bene ſubducta ratione ad vitam fuit, quin res, aut etiam uſus, aliquid apportet novi, aliquid moneat, ut illa, quæ te ſcire credas, neſcias, &, quæ tibi putaris prima, in experiendo repudies. Ita etiam Card. Antonius, id quod antea Reip. expedire exiſtimabat, deinde, experientia edoctus, à rationibus illius maxime alienum eſſe intellexit. Prope eſt, ut Cardinalium comitia fiant, quibus, Camillus Pamphilius in illud Collegium fortaſſe, una cum Io. Carolo Principe Mediceo, cooptabitur. Qui Camillus, nulla habita poſteritatis ratione, nam maſculæ ſtirpis ſolus eſt in ſua familia, in ſortem Domini vocari ſe ait. Vale. Romæ, IV Kal. Novemb. CIↃIↃCXLIV.

LXXVII.

TYRHENO

Viro Clariſſimo.

HOc tabellario, nihil à te, neque à Nihuſio, literarum accepi. Vereor, ne, tum eas, tum octerniones epiſtolarum mearum, quæ reliquæ ſunt, adverſus aliquis caſus exceperit. Quod minime velim: nam octernionum aliorum ſeriem diſturbarent atque dirimerent. Cupimus ſcire, quid iſtic agatur de pace. Nam velim ſcias, Pontificem hunc, in cujus inſigni, columba, ore ramum olivæ præferens, continetur, hujuş in primis gloriæ cupidum eſſe, ut, ſe auctore atque adminiſtro, toto orbe terrarum pax componatur. Faxit Deus, ut gloriam iſtam obtineat, & tranquillitas illa, quam tot diſcordiarum bellorumque tempeſtates abegerunt, revertatur. Ex quo, maxima in te laus redundabit, cui ejus componendæ, ſeu conſiliis pro-

movendæ, commiſſæ ſunt partes non minimæ. Nihil hic accidit novi, cujus te participem fieri oporteat, niſi, nos in ſummo ocio vivere. nulli amplius bellicorum inſtrumentorum ſtrepitus exaudiuntur; nulla armatorum ſive equitum ſive peditum manus aſpicitur; nulla furta, nullæ hominum cædes fiunt: ac plane columba illa videtur pacis ociique nuncia fuiſſe. Interea populus Rom. occupatus eſt in præparandis iis, quæ ad Pontificis, Conſtantinianæ Ædis poſſeſſionem adituri, triumphum ſunt neceſſaria. quinquaginta enim ephebi, ex nobilitate Romana electi, qui varia veſte ex auro ſericoque induti, eundem Pontificem, vel in equo vel aperta in lectica ſedentem, circumpedum inſtar, comitabuntur: aliiq; quadraginta, majores natu, viri nobiles, conſulari habitu induti, equitantes, una cum regionum capitibus, ſeu curiarum magiſtris, in purpura, ac Conſulibus, aurea in veſte conſpiciendis, ſubſequentem illum antecedent. tum temporarii, in Capitolio aliiſq; Vrbis in locis, arcus, columnis exædificati, extruuntur. Ad hæc omnia comparanda, Pop. Rom. æs alienum grande contraxit. Deinde Card. Mediceus, cui magna ex parte Pontifex electionem ſuam acceptam refert, dicitur, Florentia centum ejus civitatis primos Romam evocaſſe, qui magnifice ſumtuoſeq; veſtiti, pulcris in equis, illius diei pompæ, ſplendoris atque ornamenti plurimum afferant. Ac, ſuperioribus diebus, minimum abfuit, quin optimus ille Princeps Cardinalis, de cælo tactus, animam amitteret. Quod ne contingeret, D. Dominici factum eſt opera, in cujus ille tutelam præſidiumque confugerat. Nam horam noctis circiter tertiam, cum ille in lecto cubaret, & amanuenſi cuidam ſuo, in primis caro, neſcio quam dictaret epiſtolam, ipſum inter atque illum, fulmen excurrit, totumque conopeum, & pallium quo tegebatur, ambuſſit; utrique autem illorum, nihil admodum nocuit. Quamobrem Cardinalis poſtridie mane, beneficii memor, in Ædem B. Virginis, ſub pede Minervam habentis, Dominicanorum fratrum, ſe contulit; ibique, expiatis antea, per Sacramentum Pœnitentiæ, animi ſordibus, ad aram, D. Dominico ſacram, Chriſti corporis myſteria percepit. Ac, ſi licet parva magnis intexere,

texere, eadem nocte, fulmen è cælo decidit in tectum, cubiculo meo proximum, ejuſque tegulas omnes imbriceſque uſque adeo perfregit comminuitque, ut in pulverem plane redegerit; à cubiculo autem meo abſtinuit. Pontifex, ſumma animi conſiliique maturitate, in dandis magiſtratibus, ſe gerit. Nuper, Æmiliæ præfecturam, Patriarchæ Spadæ, qui olim Romanæ Vrbis provinciam, Gubernatoris nomine, adminiſtraverat, detulit. Ipſe interdum, à negociis publicis feriatus, in ſuburbanum ſuum, Vaticano propinquum, quod Cardinalis habuerat in deliciis, ſe confert, ibique, aliquibus ex Cardinalibus adhibitis, ac ſæpius Cappono, ad omnem animi remiſſionem alacritatemque deſcendit. Vale. Romæ, IV Non. Novembr. CIↃIↃCXLIV.

LXXVIII.

TYRRHENO,

Viro Clariſſimo.

HEri, vix tandem, proximas tuas ad me literas, XIV poſt die quam Romam pervenerant, recuperavi. nam cum vir optimus, negociorum tuorum geſtor, dixiſſet puero illi, quem octavo quoque die, cum aliqua mearum epiſtolarum, illuc mitto, quas ad te perferendas curet; cum, inquam, dixiſſet, faſciculum tuarum ad me literarum accepiſſe quendam, qui ſe curaturum ajebat ut mihi redderentur, neque illius nomen elocutus eſſet, atque ego biduum, triduum expectaſſem, neque quiſquam accederet; diſcruciabar animi, verens, ne ille interiiſſet. quod me, duplici de cauſa, ſolicitabat; &, quia eram vehementer cupidus, ex te cognoſcendi, quid ageres, ut valeres, num aliquis ad vos nuncius, de novi Pont. Innocentii X creatione, veniſſet; &, quia pro certo ſciebam, in eo faſciculo octerniones epiſtolarum includi, quos ſuperioribus, à te acceptis, adderem. Verum, cum quatuordecim jam dies expectaſſem, deſperatione propemodum debilitatus, heri mane diluculo, cum maximus de cælo imber caderet, è pueris meis al-

terum, ad eundem tuum miſi, ſumma vi ab eo petens, ut ejus mihi nomen, qui faſciculum accepiſſet, indicaret. quem, tandem fuiſſe, ait, eum qui, tibi amicus, habitat in vico quodam, Quirinali proximo, ad capita domorum. Accurrit illico famulus, & invenit eum domi, commodum, cum è lecto ſurrexiſſet: rogavit, num quidquam tuarum ad me literarum haberet. Qui, paululum erubeſcens, ſe habere reſpondit, ſed ſuo effluxiſſe animo, mihi eas reddere. Soluto faſciculi vinculo, inveni primum, pauxillum quid tuarum ad me literarum, quibus ſignificabas voluptatem, quam ex Innocentii Pont. max. creatione cepiſſes; tum, octerniones epiſtolarum tres, quos aliis adjunxi. At Pontifex, totus in pacis cogitatione verſatur, in eiſque deligendis, qui ſint ad eam rem apti. nam antea pacificæ perſonæ non deſiderabantur, ſed in bellatoribus fere omnia erant. Interea non ceſſat petere à Cardinali Cappono, ut, rerum componendarum gratia, legatus iſtuc proficiſcatur; qui, ſi veniret, generis claritate, magnitudine animi atque conſilii, rerum maximarum uſu, quo præſtat, plurimum huic cauſæ prodeſſet. Atqui is, tum exactam propemodum ætatem, tum infirmiſſimam excuſat valetudinem, qua, itinerum labores, & frigidiſſimi iſtarum regionum aëris rigorem, ferre non poſſet. Equidem iſtam gloriam Illuſtriſſimo Neritonenſium Præſuli præreptam uolim: ſed, cum omnes ad eam aditus, innumeris obſtructos difficultatibus, ac pene interclusos intelligam, malim, eum Vrbem colere, & in hac luce vivere, quam iſtic, ubi ſi omnia coneris atque perficias, ſi omnes iſtas regiones, tuarum virtutum, rerumque geſtarum fama impleas, nihilo ſis hic Romæ notior ac clarior; quæ tantarum rerum præſentium ſtrepitu adeo obtunditur, ut vix ea, quæ aliis fiunt in locis, exaudiat. Veniat ipſi in mentem illius, quod de ſe Cicero, in oratione pro Plancio, ſcribit. qui cum quæſtor in Sicilia fuiſſet, ibique res ita magnas ac præclaras geſſiſſet, ut inauditi à Siculis honores ſibi decernerentur, exiſtimabat, nullos alios Romæ, niſi de ſua quæſtura, ſermones haberi: ſed cum, decedens è provincia,, Puteolos forte veniſſet, ubi plurimi, ut ille inquit, ac lautiſſimi ſolebant eſſe, interrogatus eſt à quodam

dam, quo die Roma exiſſet, & num quid in ea eſſet novi: cui cum reſpondiſſet, ſe è provincia decedere, Etiam mehercules, inquit, ut opinor, ex Africa. huic primum ſtomachatus eſt faſtidioſe; ſed poſtea deſtitit ſtomachari, ſentiens, Pop. Romanum aures hebetiores, oculos acres atque acutos habere; ac deſiit, quid de ipſo audituri eſſent hominis, cogitare, ſtatuitque habitare in oculis omnium. Id ego conſilium utile eſſe arbitror iis, quibus idem eſt curſus ad gloriam; ut, poſtquam ſatis ſibi apud exteras gentes laudis famæque pepererint, Romæ Remp. gerant; ab oculis horum hominum, niſi forte lege ac neceſſitate, non abeant. Hæc meus in animi nobiliſſimi virum amor ſummus ac ſingularis, atque ardens illud ſtudium, quo incendor, ut ipſum, ex ſuis virtutibus ornatum aſpiciam, ſcribere ſuaſit. quod ſi reſciat ille, atque audacius factum exiſtimaverit, ignoſcat rogo. Romæ nihil eſt novi, niſi P. Nicolaum Rodulphium, olim Dominicanæ familiæ generalem magiſtrum, cui non licebat Romæ conſiſtere, à ſummo Pont. revocatum, atq; humaniſſimis honorificentiſſimiſq; verbis exceptum, in præcipua parte cœnobii, ad Minervæ, habitare, Vrbem, vel rheda vel geſtatoria ſella delatum, circumire, omnium cum plauſu lætitiaque, quacunque iter facit, honorifice accipi; tum Angelum Cæſium, Ariminenſem Epiſcopum, Epiſcoporum decus eximium, ab eodem Pont. accerſitum, ut, quemadmodum ajunt, ad Regem Hiſpaniarum mittatur, Roſpilioſi loco, Nuncius. Vale. Romæ, IV Idus Novembr. CIƆIƆCXLIV.

LXXIX.

TYRRHENO,

Viro Clariſſimo.

DVm hæc ſcribo, XVIII Kal. Decembris, hora fere noctis ſecunda, Romanus aër, exploſarum fragore bambardarum remugit, tubarum ſonitus tympanorumque ſtrepitu percrepat, omnes ferme viarum tractus, frequentium flammis ignium, elucent; ut, ſi quis Romam,

è locis, unde eſt in eam deſpectus, aſpiciat, ardere illa & conflagrare videatur. quod ſi Neroni id veniſſet in mentē facere, ſine urbanorum dolore, immo magna cum illorum voluptate, ſuis potuiſſet oculis, ardentis imaginem Trojæ ſubjicere. tum ædium pene omnium feneſtræ, luminibus, cartaceis in orbem ductis pedalibus laternis incluſis, vel accenſis cereis emicant: denique, tota Vrbe, lætitia ac voluptas agitatur. Cauſa lætitiæ eſt Camillus, Innocentii Pont. fratris filius, qui ſolus ex familia Pamphilia ſupereſt, in Collegium Cardinalium cooptatus, una cum Io. Carolo Mediceo, Ferdinandi, Magni Ducis Etruriæ fratre. Maluit videlicet ille Eccleſiaſticæ vitæ rationem ingredi, quam matrimonia perſequi, & liberos educare, generi monumentum & ſibi. Ajunt etiam, Pontificem, ad eum cooptandum, impulſum, tum Cardinalium omnium, tum Regum atque Reruinp. oratorum precibus, qui recuſabant, de ſuis ſuorumque Principum negociis, cum aliis, quam cum Pontificis fratris filio agere. Adoleſcens eſt, duo ac viginti annos natus, optimis moribus, ac diligentia Olympiæ Maildachinæ matris, liberaliter educatus. Sed pridie, quam comitia haberentur, in aula regia, magno omnium cum plauſu, reſtituta eſt inſcriptio illa, Vrbani Pont. juſſu deleta, quæ ingentia Reip. Venetæ in Romanam Sedem merita, in pariete ibi depicta, referebat. Conſtans eſt omnium opinio, hoc Pontifice, neminem in ampliſſimorum Patrum ordinem eſſe venturum, niſi eum, qui ſit genere, ſanctitate, doctrina, ac rerum geſtarum fama, toto terrarum orbe clariſſimus. neque enim eſſe verendum, ne, in Cardinalibus cooptandis, cujuſvis alterius rei oblitus, familiæ ſuæ, opibus, honoribus, ac divitiis augendæ, rationem habiturus ſit ille, qui eam, fratris filio, in quo unica ejus propagandæ ſpes inerat, ad eccleſiaſticam militiam reſcripto, properaverit ipſe delere. Atque accerſivit Romam Angelum Cæſium, Antiſtitem Ariminenſem, veri ac germani Epiſcopi exemplar ac formam: cujus virtutis lumen, longe clariſſimum, ante annos triginta, in Cardinalium Collegium, ad purpuram illuſtrandam, fuiſſe tranſlatum oportuit; ut, ſicut Epiſcopis, quemadmodum in ſuo mune-

nere adminiſtrando ſe gerere debeant, præſcripſit, ita etiam Cardinalibus, quemadmodum recte ordinem illum ac locum tuerentur, oſtenderet. Mittendum eum ajunt in Hiſpaniam, ad Regem illum, Nuncium. Qui quidem, ſi illuc proficiſcetur, imminutam ac prope collapſam Apoſtolicæ Sedis auctoritatem dignitatemque, prudentia, veterem in locum reſtituet, ac, vitæ innocentia, omnes eas regiones ad ſui ſpectaculum advocabit. Omnes fere hic Romæ, gravedines ac diſtillationes, & febres etiam, quæ plures opprimunt, male habent, ex mira tempeſtatum inæquabilitate exortæ. Nam quemadmodum ex tempeſtatibus illæ ſunt optimæ, quæ æquales; ita etiam peſſimæ, quæ variant maxime. Etenim, modo calores, modo frigora, corpus excipiunt: quod, quandocunque evenit, periculum affert. Deinde, ferme ſub initiũ autumni, ſummis caloribus, ex improviſo, intolerabilia frigora ſucceſſerunt, quæ, relaxata ſuperioribus caloribus corpora, invaſerunt occuparuntque. Vale. Romæ, XVIII Kal. Decem. CIↃIↃCXLIV.

LXXX.

TYRRHENO,

Viro Clariſſimo.

HEri, die, D. Clementi celebri ac feſto, Innocentius X Pont. Max. Baſilicæ ac Palatii Lateranenſis in poſſeſſionem eſt profectus, ea pompa ac magnificentia, quam non alias me vidiſſe memini. Quid multa? Cælũ ipſum ejus honori gloriæq; favere viſum eſt. nam cum pridie magnam vim aquæ fudiſſet, ac poſtridie mane, ex denſis atriſque nubibus, quæ illud occupaverant, maximus futurorum imbrium metus oſtenderetur, tanta repente aëris ſerenitas ac ſuavitas extitit, ut verni temporis amœnitas, hilaritas, claritas, atque feſtivitas, ad illuſtrandum celebrandumque diem illum rediiſſe videretur. Quà, ab ædibus Vaticanis, unde pompa prodibat, ad Baſilicam Conſtantinianam itur, exteriores domorum omnium parietes, qua aulæis, qua ſericis veſtibus, qua Attalicis periſtromatis, pulcre veſtiti aſpicebantur.

A Capitolio vero uſque ad Baſilicam illam, ubi per ingens ſpacium nullæ ſunt ædes, trabes præaltæ, certo quodam ordine ac ſitu, humi defixæ, ac ſuperne aliis tranſverſis tignis adjunctæ, aulæa itidem ſuſtinebant: quæ partim Hebræorum natio, partim ſingula artificum corpora, ex S. P. Q. R. decreto, deportanda ibique affigenda curaverant. Ex ſingulis ſingularum ædium feneſtris, aurea, vel ſerica, varii coloris ornamenta dependebant; quæ, operum colorumque varietate, ſatis verbis dici non poteſt, quantã aſpicientium oculis voluptatem afferrent. Ingens, à Pop. Rom. in Capitolii vertice, erat arcus extructus, cum inſcriptionibus, quæ Romani Pontificis, ſingulari Dei beneficio ſibi conceſſi ac traditi, laudes continebant. Alter item arcus, multo majori magnificentia ſumtuque, à Duce Parmenſi, via ſacra, prope ſuos hortos excitatus, ſed nondum, ob temporis brevitatem, abſolutus, inſpiciebatur. Qui Dux, etiam fictilia atque marmorea hortorum ſuorum ſepta, atque mœniana, aulæis, quorum ſimilia nuſquam invenias, aliiſque aureis ac ſericis veſtibus, mirum in modum ornanda curaverat. Equeſtris vero pompæ ordo hic erat. Levis armaturæ milites aliquot, ex Pontificis cuſtodia, præibant: hos Cardinalium veſtiarii, in equis, ſequebantur, quorum colla bulgis, Phrygio opere, auro argentoque elaboratis, conſtraverant, triginta numero: proximi his ſuccedebant Cardinalium eorundem tonſores, totidem numero; qui clavas argenteas, miro opere artificioque perfectas, quas ſuis dominis præferunt, cum publice Sacellum Pontificium vel Conſiſtorium intrant, vel alium aliquem in locum veniunt, ante pectus, demiſſas, equorumque collis innixas, habebant. Sequebatur hos, equitatus nobilium; quorum ingens numerus, tum ex nobilitate Romana conſtabat, tum ex iis conflabatur, quos, genere, opibus, ac divitiis, omnium primos, ex ſuis civitatibus, Cardinalis Mediceus, Parmenſis Mutinenſiſque Duces, Romam evocaverant. hos regiæ opulentiæ cultus adornabat. horum ſingulos, pro cujuſque opibus, plures, varia induti veſte, circumpedes comitabantur. hos vehebant equi, eximiæ magnitudinis pulcritudiniſque. Poſt

ton-

tonſorem ſarcinatoremque Pontificis, haud longe erant ii, quos ſcutiferos Apoſtolicos vocant. hos ſequebantur lecticæ, purpura auroque conſtratæ, tres numero; mulæ, holoſericis villoſis purpureis, multo auro diſtinctis, phaleratæ, ſex; mannique, aureis item ungulis phalerati viginti: regentes eos, purpureæ tunicæ adornabant. Poſt hos, exiguo intervallo, tubicines ſex, & tympanotribæ decem ac tres, cantu ſtrepituque, auribus non injucundo, aërem complebant: rubra illos amicula, hos chlamydes, decorabant elegantiſſime. Tum, è familia Pontificis, ante omnes equitabant cubicularii, quibus quia in eum ædium locum, quem Pontifex tenet, pedem intro ferre non licet, Extra muros, eſt nomen. hos longæ, manicatæque, ac paululum in vertice criſpatæ, rubri coloris veſtes honeſtabant. proximi his, Advocati Conſiſtoriales, eodem pene quo illi cultu; niſi quod color erat violaceus, & circa collum, involucrum, albis pellibus ſubſutum, habebant. Sequebatur hos magnus eorum numerus, quos Pontificis clavatores appellant: hos argenteæ clavæ, ſed puræ, ac violacea amicula, adornabant. Proximi ibant, intimi honorariique cubicularii. poſt hos alii quatuor, galeros Pontificios quatuor, holoſerico villoſo purpureo tectos, rubra item impoſitos virga, geſtabant: qui quoniam multa, quæ proveniunt, commoda inter ſe ſoli partiuntur, Cubicularii participes appellantur. His omnibus idem erat, qui Advocatis Conſiſtorialibus, habitus; ſed colore tantum diſtabat, quia purpureus. Iam omnium in ſe oculos atque ora converterat Magiſtratus Populi Rom. qui Populus, quo majorem Pontifici, civi ſuo, honorem haberet, ferme quinquaginta viros nobiles, qui Magiſtratus in Vrbe geſſerant, elegerat, atque eorum ſingulis conſularem veſtem, equi phaleras, ac tegmen capitis quod biretum vocant, ex holoſerico villoſo nigro, dono dederat: quo ornatu, Magiſtros Curiarum, quos capita regionum appellant, anteibant. his, tredecim regionibus Vrbis paribus numero, femoralia ac thoraces albi, ſagique purpurei, ex raſo ſerico, erant: iiſque poſtremus, Dux Cæſarinus, S. P. Q. R. ſignifer, in auro fulgebat, Conſu-

ſulibus tribus proximus. Qui conſules, die tam pulcro, tam celebri, ac venuſtatis pleno, ſericas veſtes depoſuerant, atque aureas ſumſerant. Deinde, aulæ Rom. Antiſtites procedebant. quorum primi ſe in conſpectum dabant Abbreviatores, tum Rotæ auditores, illi hyperendyma carbaſinum violaceis tunicis, hi nigris ſuperjectum habebant, præter Decanum, cui, & phaleris & veſtibus violaceis uti, jus eſt; at galeri, omnium capitibus, nigri hærebant. Ab his non ita longo intervallo aberat Subdiaconus Apoſtolicus, poſt oratorem Cæſaris & urbis rectorem, Crucem præferens Pontifici. Quem, lectica aperta, purpura auroque decora, albi vehebant muli: utrumque lecticæ latus decorabant quinquaginta ephebi, quos ex Romana nobilitate ſelectos, Pop. Rom. varia veſte, ex ſerico albo auroque contexta, induerat; qui etiam Pontificis honoris gratia, tegmen capitis, cui albentes plumæ hærebant, detractum, manu gerebant. ſed ante lecticam præcedebant circumpedes, ad ſexaginta, ex familia Pontificis. quam ſequebatur Secretarius domeſticus, medius inter cubiculi præfectum atque pincernam. ſequebatur etiam medicus. Pontificem comitabantur Cardinales triginta. nam alii, quibus vel ob ætatem, vel ob infirmam valetudinem, equitandi facultas non erat, rheda vecti, ad Lateranenſem Baſilicam ſeſe contulerunt, ut ibi Pontifici præſto eſſent. Singulis Cardinalibus, phaleratis purpura auroque mulis, purpurea in veſte hærentibus, purpureumque in capite galerum habentibus, bini præibant circumpedes, ligneis cum clavis atque prælongis, inauratis, ubi uniuſcujuſque inſignia erant depicta. Comitabantur etiam poſt illos Pontificem, una cum domus ejuſdem præfecto, Epiſcopi, quos, quia Pontifici in ſacrificiis aſſiſtunt, Epiſcopos aſſiſtentes appellant. hi mulorum phaleris, ac veſtium amplitudine ornatuque, ſi recte animadverti, quamvis colore violaceo, haud ita multum à Cardinalium cultu abhorrebant, ſed viridi caput galero inſertum habebant. Verum, quod ſum oblitus, ac volui dicere, Pontificis ac Cardinalium fere omnium latera, Helvetii armati muniebant. Augebant poſtremo Antiſtitum numerum Protonotarii Apoſtolici; quibus

ca-

capita violacei galeri tegebant. Claudebant deniq;agmẽ plures,levis armaturæ equitũ. turmæ. Vbi ad Ædem Lateranenſem ventum eſt,Pontifex,ſumto Pontificali amictu & mitra,auro gemmiſq;diſtincta clariſſimis,in porticu ejuſdem Ædis,clerum illum ad pedum oſculum excepit, & oblatas à Card. Columna Ædis claves accepit. Hoc interim ſpacio Cardinales, ſacerdotales veſtes induerunt, & mitras capitibus addiderunt. His peractis, aurea Pontifex in ſella, deferentium humeris, ſub umbella, eſt elatus in templum, præcedentibus cantoribus, qui modulatis vocibus concinebant hymnum, *Te Deum laudamus.* In ſummo templo parata erat ſedes,auro conſtrata, ſub umbella, ad quam, multis gradibus; iter erat. hanc Pontifex conſcendens, Cardinales, fidem & obedientiam ſibi deferentes, humaniter eſt amplexus. His quoque peractis, geſtatoriam rurſus ſellam inſcendens, eadem pompa, qua venerat, locum, ſupra porticum, ad benedictiones extructum, unde jam diu pecunia, recens excuſa, ab ærarii præfecto in populum jaciebatur, adiit; ibique populo, qui frequens convenerat, benedixit. Et hic finis fuit ejus diei celebritatis. Nos, impranſi, hora diei vigeſima tertia domum reverſi ſumus. Hæc raptim ac curſim ad te ſcripſi; ne mihi è memoria elaberentur. Vale. Romæ, VIII Kalend. Decembr. CIↃ IↃ C XLIV.

LXXXI.

TYRRHENO,

Viro Clariſſimo.

SEmper, tuæ ad me literæ, lepidæ, elegantes, amœnæ: ſemper, cum aliquid ſcribis, illud aſſequeris, ut nemo ſcripſiſſe melius exiſtimetur. Verum, in iis, quas proxime ad me dediſti, tanta vis eloquentiæ, nitoris, elegantiæque, viſa eſt ineſſe, ut non alia, ab alterius cujuſvis ingenii fonte, quam ab eo qui emanat ex tuo, neque copioſior neque nitidior prodire potuerit. Quocirca, ob hanc cauſam, & quia longiores erant omni-

bus iis, quas hoc anno à te accepi, quanta ſim voluptate affectus, quibus gaudiis exultaverim, non dico, ſed in cogitatione tua relinquo; cui pluſquam ceteris notum eſt atque perſpectum, quantum tibi tribuam, quamque mihi decorum & honeſtum exiſtimem, non ſolum à te aliquo in numero haberi, verum etiam diligi, laudari, ac ſæpius literis, plenis amoris officiique, recreari. at à quo viro? ab eo, cujus ſimiles ſi plures proferre poſſemus, bene cum Rep. Chriſtiana ageretur. Canticum vero Moyſis, Latinis à te verſibus explicatum, tantum habet elegantiæ, ſplendoris, & ornamentorum, ut non videam, cuinam debeas eorum cedere, qui in hoc ſcribendi genere ſunt verſati; ac ne Buchanano quidem, qui primas tuliſſe exiſtimatur. Eadem fuit eorum ſententia, quibus illud oſtendi; & in his Hugonis Vbaldini, Roberti Card. Vbaldini fratris; qui illud mecum carmen, ſemel, iterum, ac ſæpius legit. Qui quanti te faciat, quamque, quocunque accedit, pleno, ut dicitur, modio, verborum honore proſequatur, ſatis dici verbis non poteſt. Ille tuas egregias ſingulareſque virtutes, quas, partim ex literis quas ad me ſcribis, iiſque quibus tibi reſpondeo, partim ex ore illorum qui iſtinc ad nos veniunt, perſpectas habet, enarrat. ille, omnibus audientibus, dicit, ex tui ſimilibus ornamentum curiæ, auguſtiſſimo Patrum ampliſſimorum ordini ſplendorem, eſſe petendum. Voluit etiam à me tui oris imaginem habere: quam Cardinali Cappono, qui apud ſe diverſatur, oſtendit. Quamobrem æquum eſt, te, in amore, homini ſanctiſſimo nobiliſſimoq; reſpondere, cum eoq; mutuum facere. Scripſeram, ſuperioribus literis, de inſcriptione, in aula Pontificiæ domus regia, reſtituta; qua, egregia quædam Reip. Venetæ in Sedem Apoſtolicam merita, ibi depicta, declarantur. Quæ Pontificis libera, neque, cujuſquam admonitione, coacta ejus reſtituendæ voluntas, ita Senatui illi grata accidit, ut non uſitatis, ſed ſingularibus animi ſignificationibus, compenſandam eam eſſe decreverit. Nam & Equitem Angelum Contarenum, unum ex Reip. Procuratoribus, ad Pontificem allegavit, qui immortales eidem gratias agat: tum, Camillum, fratris illius filium, nunc Cardinalem, omnem

mnem

mnemque deinceps Pamphiliam familiam, Veneta Nobilitate donavit: poſtremo, quod refert, ſtatuit, ut Eccleſiaſticorum hominum cauſas Nuncius Apoſtolicus, in cujus illi forum conveniunt, cognoſcat. Quod etiam factum eſt à Duce Sabaudiæ: cujus Pontifex literas, plenas veræ animi demiſſionis humilitatiſque, cum legeret, lacrimas non tenuiſſe narratur. Sed, quod fueram oblitus, Senatus Venetus, in familia Pamphilia, Nobilium ſuorum numero adſcribenda, Senatus conſulto, olim ab ipſo facto, derogavit, quo ſanciebatur, ne quis Romanorum Pontificum cognatus in Nobilium numerum reciperetur, niſi antea honorem illum in beneficio & gratia poſtulaſſet. Quid multis opus eſt? Id unum Pontifex videtur agere, in idque tota mente & cogitatione incumbere, ut Chriſtianos Principes, magis officiis beneficiiſque, quam terrore ac minis, in officio contineat. Ac, per hanc rationem, Reip. Chriſtianæ vulnera ſanari poſſe confidit. Nec ridicula eorum interpretatione commovetur, qui idcirco putant ipſum bene audire velle, ut ii, qui ante ipſum remp. adminiſtrarunt, male audiant, neque hoc ſe modo gerere ſuæ laudis, ſed illorum contumeliæ cauſa. Namque eſt ipſe ſibimet conſcius, cum de Principibus bene mereri ſtudet, non illorum conſilia damnare, qui nulli rei tam viſi ſunt operam dare, quam ut eos à Sedis Apoſtolicæ amicitia, quantum poteſt, abalienarent; ſed in corpore Reip. ægro, quod tum illi tum ipſe curandum acceperit, ad ſanitatem revocando, ſe diuerſa uti ratione. Quod ſi illi in ſuam contumeliam fieri exiſtimant, errant; perinde ac erraret medicus, qui ab eo medico, qui ipſi ſucceſſiſſet, ſe injuria affectum eſſe quereretur, ſi, quæ ipſe, in ægroto curando, conſtituerat, mutet ille: quod nulla ratione ab eo fieret; nam eadem de re variæ ſunt hominum voluntates atque ſententiæ; ac difficile eſt de unaquaque judicare. Illi ægram Remp. optime curari poſſe credebant, ſanguinem mittendo, ſumtibus & jacturis eam exhauriendo, finitimos Principes, armorum ſtrepitu, concutiendo. hic contra, meliorem medicinam, ad eam ſanandam, eſſe arbitratus eſt, crebra ſanguinis miſſione ac dejectione amiſſas, illi vires repa-

rare, graviſſima onera quibus opprimitur adimere, Chriſtianos Principes, ad illius dignitatem ac decus augendum, mutui inter ſe amoris nexu conſtringere, honorem, ut par eſt, illis habere, nihil, quod honeſte petatur, denegare, fidem, in eo quod promiſerit, non fallere. Atque hæc curandi ratio adhuc illi ex ſententia ſuccedit. nam vix quidquam venit in mentem optare ab illis, quin perficiat. Ac modo ardebat cupiditate incredibili, ut Cardinales omnes uno eodemque cognomento appellarentur; neque Celſitudinis nomen inter eos amplius audiretur: ſed non audebat hoc palam efferre. at cum id leviter odoratus eſſet Cardinalis Mediceus, qui nunc nomen mutavit, & Cardinalis Etruriæ ſibi titulum indidit, &, quem uſurpabat antea, Medicei, Io. Carolo, fratris filio, nuper Cardinali creato, reliquit; cum, inquam, id ille perſenſiſſet, ſponte Celſitudinis cognomento ſe abdicavit, ac, ſuis omnibus ad ſe venire juſſis, pœnam ſtatuit in eos, qui ſe non eodem, quo ceteros Cardinales, titulo affeciſſent. eademque opera, ſuis ex inſignibus, diadema juſſit expungi. Magnus fit omnis generis hominum, tum virorum tum mulierum, concurſus in viam ſacram, quæ nunc forum boarium, quod ibi boves ſint venales, appellatur, arcum triumphalem viſendi cauſa, ab Odoardo Farneſio, Parmæ ac Placentiæ Duce, Innocentio Pontifici, ad pompam ejus diei, quo ad Ædem Lateranenſem profectus eſt, excitatum; qui arcus, ob magnitudinem operis, tum non potuit abſolvi, nunc autem, abſolutionem perfectionemque ſuam adeptus, ab omnibus viſitur. Opus eſt ſane amplum, magnificum, ſumtuoſum, dignum eo Principe qui dedit, dignum illo cui datum eſt, dignum ea frequentia qua celebratur. Omnino, principes viros inter, certamen eſſe videtur, quiſnam eorum, majorem huic Pontifici amorem, cultum, ac reverentiam exhibeat. Vale. Romæ, pridie Kal. Dec. CIↃIↃCXLIV.

LXXXII. TYR-

LXXXII.

TYRRHENO,

Viro Clariſſimo.

REddidi literas tuas Epiſcopo Cyrenenſi: quæ (ut ex vultus hilaritate, qua eas accepit, & ex verborum humanitate, qua eaſdem proſecutus eſt, conjicere potui,) fuerunt illi gratiſſimæ: ſummaque ex eis voluptate ſe fuiſſe affectum oſtendit, cum, me præſente & audiente, legit, quam propenſam, quamque mirificam erga ipſum voluntatem gereres. quam humaniſſimam animi tui ſignificationem ſe pluris facere dixit, quam ſi quodvis aliud lucrum, quantumvis maximum, feciſſet; ſemper enim ſe amicitiam tuam optaſſe, ſemper aliquo ſuo beneficio tuam gratiam promereri ſtuduiſſe, ſed nunquam ejus rei occaſionem ſibi fuiſſe oblatam. Ac rurſus id, quod mihi ſæpe dixerat, affirmavit, te, non tam magni facere, quod antiquiſſima honeſtiſſimaque ſis familia, nec, quod plures deinceps magiſtratus geſſeris, nec, quod honorificum ſuſtineas munus; nunquam enim veſtra iſta nomina multum apud ſe valuiſſe, nunquam ea, quæ ſunt hominum opinionibus ampliſſima, ſe eſſe admiratum: non igitur, inquit, tam te diligere, colere, in oculis ferre ob eas res, quas ſolas ſtulti primas ducunt, quam ob ornamenta virtutis, quæ maxima ac pene innumerabilia in te conveniunt, quibus tuum, apud iſtas gentes, quæ tua, tum abſtinentia, tum juſtititia, facilitate, doctrina, ſanctitate, liberalitateque recreantur, nomen in honore, celebritate, & amore verſatur. Et, quamvis ea, quæ in te laudantur, etiam ſine cujuſquam comparatione, ſatis ſint per ſe ipſa magna & clara; tamen quorundam, tuarum virtutum laudibus, mores diſſimilimi, fecerunt ea longe majora atque clariora. Non eſt neceſſe, à me quemquam nominari, ne, cum tua laude, cujuſquam præterea dedecus conjungam. Quamobrem id jam es conſecutus, ut nullius muneris onus ſit ità magnum & grave, quod non

tuis par viribus habeatur: neque verendum eſt, ne, ſi tibi credatur, clitellæ, ut eſt in proverbio, bovi impoſitæ eſſe videantur; hoc eſt, ne illud plane non eſſe tuum onus exiſtimetur. Sed, ut ad Vajum redeam, ſic ab eo diſceſſi, ut diceret, omnibus in rebus, quæ ad tuam dignitatem pertinerent, vel conſervandam vel augendam, ſe tibi non amicum modo verum etiam amiciſſimum eſſe, ſuis omnibus officiis effecturum ut judices. Nec minorem erga te benevolentiam ſtudiumque præ ſe ferre videtur Card. Capponus, qui ſummum Pont. iſtum magno ſibi amoris nexu habet adſtrictum: idque mea, atque Hugonis Vbaldini, Baſilicæ Vaticanæ Archidiaconi, opera; cujus ille domi habitat. Etenim vir hic, tum generis, tum doctrinæ, tum virtutum omnium ſplendore clariſſimus, mira illi de te prædicat, oris etiam tui imaginem oſtendit; ex cujus delineamentis, de ſui animi ſpecie pulcritudineque conjecit: nec male: eſt enim, inquit Ambroſius, ipſa corporis ſpecies ſimulacrum mentis, figura probitatis. Quamobrem, de ejus in te voluntate, ſimul ac uſus venerit, dubitare non debes. Perge igitur de Rep. Chriſtiana bene mereri, virtutis & honeſtatis amore, ut facis: quam qui ſequitur, cum ſit ſtabilis & æterna, eum ſemper beatum eſſe contingit: non autem opum, divitiarum, honorum, gloriæque cupiditate; quæ cum ſint fluxa, caduca, & injuriis apta fortunæ, iis abundantem licet eſſe miſerrimum. Vale. Romæ, VI Idus Decembr. CIↃ IↃ C XLIV.

FINIS.